UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

urn:nbn:de:hbz:466:1-50423

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 2938.
fol. IV.
3.

SCINTILLÆ IGNATIANÆ, *SIVE* SANCTI IGNATII DE LOYOLA, SOCIETATIS JESU FUNDATORIS APOPHTEGMATA SACRA,

Per singulos Anni Dies distributa,

Et ulteriori Considerationi proposita

Per R. P. GABRIELEM HEVENESI
Societatis Jesu.

Collegii Soc. Jesu
Leuerb. an 1716.

COLONIÆ,
Apud HENR. ROMMERSKIRCHEN,
Anno 1715.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur. *Luc. c. 12. v. 49.*

DIVO PATRIARCHÆ IGNATIO.

SANCTISSIME PATER, *Magne Ignis! qui Divinæ charitatis ardore succensus ità vehementer exarsisti, ut Orbis totus flammis tuis nutriendis nimiùm quàm angustus fuerit; nec ardere contentus ipse, hunc omnium actionum, &*

cogitationum tuarum ſcopum præfixiſti, quî eo, quo Ipſe tam ſanctè flagrabas igne, totus, quàquà patet, Orbis inflammaretur. Huc continua per orationem, & ardentiſſima ſuſpiria cum Deo communicatio, huc plurima, quæ per Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Terram ſanctam ſuſcepiſti, itinera, huc denique cura, vigiliæ, ſtudia, conatus omnis, imò omnis in venis motus, anhelitus omnis collimabat, ut prodeſſes omnibus, omnes hauſto è cælis igne ſuccenderes, nec eſſet, qui à calore Tuo ſe poſſet abſcondere. Quò non pertingebas corpore, ut adeſſes ardoris Tui efficaciâ, ſocios, velut incendiarios totidem zelantiſſimæ doctrinæ Tuæ tædis inſtructos ità latè ultro citròque diviſiſti, ut non ſupereſſet in Orbe natio, non provincia, imò vix angulus aliquis, quò caloris Tui fructus non penetraret, nónque plurima in ſa-

salutem Gentium operaretur. Tunc solùm beatus, & hilaris, si quod per Te, pérque Tuos Dei gloria, proximíque salus, ac perfectio ullibi sumeret incrementum. Ut autem etiam in dissitum operareris, quot verba, tot flammas eructare non contentus, nova in distans moliturus incendia, ut etiam, cùm non supereresses, ignis quasi perpetuus, viveres, libros, & epistolas, id est: totidem ignes missiles, ad varios dispersisti, ut, dum illæ subirent oculos, uná Dei charitas, & sanctioris vitæ desideria pectus occuparent. Quòd sanè adeò feliciter obtinuisti, ut nec Tu videri sinè fructu, nec audiri absque emolumento posses, nec Tui, quos chartæ committebas, characteres legerentur, quin luceres in omnibus, & arderes, tuísque flammis accenderes universos. Mei hìc me unius pudet, MAGNE PATER! *si hoc*

Te tamen nomine compellare mihi liceat, qui cùm Ignis filius esse deberem, fumus sum, tuísque degener à caloribus, heu! quàm procul à moribus discedo, quem tam ardentibus ad imitationem exemplis provocasti, tam vehementibus igneæ legis Tuæ flammis tam diu fovisti, tam frigidus tamen adhuc, & obscurus titio persevero; & hoc est, cur Sacra Tua *cælestis Sapientiæ* Apophtegmata, *id est, saluberrimas doctrinas, ex ardentissimo Tuæ in Deum, & proximum charitatis ardore, velut clibano cadentes scintillas, in libellum, velut focum, congessi, eo nempe consilio, ut sempur ad manum esset, unde frigori meo excutiendo remedium ponerem, unde ignavia mea ad æmulandos ignes Tuos velut flabro salutari animaretur identidem, veternóque tandem posito in meditatione mea exardescceret ignis, quàm mihi*

hi neceſſarius , tam tibi acceptus. Quem conatum licet privato ego ſolùm uſui deſtinaverim , fuêre tamen , qui publici eum juris eſſe voluerunt , tum ut Tui , PATER ARDENTISSIME! *caloris fructus propagaretur latiùs , tum, ut aliis ſerviendi deſiderio , Tua vota complerentur uberiùs. Quorum monitis obtemperans ,* Scintillas *has ex ampliſſimo pectoris Tui incendio ſumptas , per manus , & oculos mitto , ut novos inde Spiritus calores participent univerſi , quas tamen nisi Tu fovere , ac in flammas promovere velis , hærebunt inefficaces , imò in ſteriles reſolutæ cineres , vim , ardorémque omnem amittent. Tu proinde ,* PATER AMANTISSIME! *qui non minùs nunc in cœlis ardes , quàm olim in vivis agens , Dei Gloriam , ac proximi ſalutem anhelâſti ,* Scintillis *his , id eſt ,*

doctrinis ex ore, & calamo Tuo desumptis ignitum illud robur adde, ut quod Tuis olim Sociis, idem Tuis hodie doctrinis dictum velis: Ite, & mundum accendite universum, *Dei nempe & proximi charitate, quod omnibus quidem, quorum illæ oculos subiverint, mihi tamen, utpote reliquis magis indigo, cumprimis supplico.*

Filiorum Tuorum indignissimus

G. H.

I. Je-

1. Januarij.

Omnia ad majorem Dei Gloriam!

Hæc, & his æquivalentia verba trecentis septuaginta sex vicibus repetit in suis Constitutionibus S. P. Ignatius. Suar. to. 4. de Relig. lib. 8. c. 6. n. 1.

NOvi anni, & totius vitæ felicitas in eo consistit, ut omnia temporis, & actionum nostrarum momenta ad Dei solius gloriam dirigantur. Hoc Deus jure supremi Dominii exigit; hoc nos essentiali servitutis titulo debemus.

Qui suam, non Dei, gloriam quærit, fur est & latro: nam soli Deo gloria, nobis autem confusio debetur, & opprobrium. Illa debiti nostri & calcar est, & tessera.

Nemo sibi pejùs consulit, eo, qui suam Divinæ gloriæ anteponit; hic enim temporalem simul perdit, & æternam: semper miser; hìc, quia verâ; illic, quia omni destituitur.

Quod ipsi, sed nimiùm serò, fatebuntur:

Totâ nocte laborantes, nihil cepimus. Nihilum hoc est humana gloria, ut flos fœni caput attollit, & brevi conculcabitur; ut fumus exaltatur, & perit. Si gloriam æstimas, veram quære.

2. Januarij.

Hæc prima sit agendorum regula: sic Deo fide, quasi rerum successus omnis à te, nihil à Deo penderet: ita tamen iis operam omnem admove, quasi tu nihil, Deus omnia solus sit facturus. S. Ignat. ap. Nolarci.

INfirma spes imbecilli stat pede, quæ manibus destituitur. Qui te, cùm necdum esses, creavit sine te, nunc nec salvabit, nec juvabit te, sine te.

Præbe tu scintillam, Deus animabit incendium. Jace sementem, ille dabit incrementum. Sic è voto crescent omnia, secus omnia sterilescent.

Tu nihil potes, licèt velis, sine Deo. Ille nihil vult, estò possit, sine te. Fœderatus Deo poteris omnia.

Gratia Dei, quæ tanta in aliis potuit, in te uno non amittet vires, modò tu in eum fiduciam non amittas. Ubi sunt spes tuæ?

3. Januarij.

Oleum perdit & operam, qui aliorum mores emendaturus non incipit à se ipso. S. Ignat. apud Barto. l. 4. §. 36.

PRæpostera planè res! alios volumus bonos, cùm ipsi non simus; ex ore nostro condemnandi, cùm bona præcipimus, & mala agimus.

Nulla lex satis est efficax, nisi viva, quam legislator gestu promulgat. Efficacior quippe vox est operis, quàm oris. Illa tot fœderatos habet ad persuadeudum oratores, quot actiones; Hæc sola cùm sit, authoritate destituitur.

Quis ibi fructus, dum ædificamus simul, & destruimus? Illud verbo, istud opere. Qui malè affectis vult mederi, non subsit affectibus. Priùs est sibi caviſſe, quàm aliis

Miseri mortales! domi talpæ, foris linces. Non videmus, quid à tergo sit manticæ. Sensum omnem amisimus, non sentimus trabem in oculo, dum in alieno festucam scrupulosè scrutamur. Medice, cura te ipsum.

4. Januarij.

Non mutat mores cæli mutatio ; nisi se imperfectus deserat, vix erat alibi, quàm isthic melior. S. Ignat. apud Bart. l. 4. §. 36.

NUllum vidi, qui melior ex peregrinatione redierit. Multùm illa curiositatis, parùm habet utilitatis.

Qui malè agit, nullam agit bonam fugam ; ubi tutum se crediderit, erit in se, quod timeat.

Corporis morbos perquam rarò, animi nunquam, emendat clima. Intra te si malum est, hoc fuge, vel in exilium mitte; tuum, & non loci, vitium est, quod fatigat, Non hujus sed tui, mutatione curari debet,

Illud appetendum esset iter, quò vel dæmon sequi, vel passio tua venire non posset; quod frustra alibi quæres, nisi à vitio ad virtutem iveris. Hæc una est malo tuo medicina.

Locus nullum fecit sanctum. Non Jerosolymis fuisse, verùm Jerosolymis bene vixisse, laudabile est. Certum instabilis, luíque victoriam fugientis animi signum est ; de loco ad locum petere mutationem.

5. Ja-

5. Januarij.

Juvenum virtuti periculosa negotia perperam creduntur. S. Ignat. apud Bart. lib. 4. §. 37.

NOvitia virtus instar florum est in arboribus, qui ad primos veris calores se celeres protrudunt, sed fluxi adeò, ut penè contactu, vel etiam solo rigidioris auræ afflatu, exarescant.

Teneri humeri sub gravi pondere facilè fatiscunt, & turpi ruinâ produnt inconsultos conatus. Vigor sanguinis audaces facit, sed audacia, nisi rationis fræno contineatur, abit in temeritatem.

Præcox fervor vires atterit, unde fit, ut asinus lassus tandem quærat diverticula, qui, si adfuisset moderatio, diu bonas operas præstitisset, sic prima spes perit in herba.

Inconstantia, & mutabilitas cognatum est homini malum, sed juventuti proprium. Si quid hæc amat, desiderat vehementer, sed non diu.

Festina lentè; rara est celeritatis unà, & constantiæ prærogativa. Errat facilè, qui

nimiùm properat. Proculiturus, ita principiò passum temperet, ut durare possit.

6. Januarij.

Rarum aliquod & eximium facinus sexcentis vulgaribus longissimè antecellit.
S. Ignat. apud Bart. l. 4. §. 17.

UT res obviæ, quæ ad manum sunt, & facilè passim occurrunt, nec sui desiderium, ut obtineantur, nec obtentæ solatium, creant: ita opera vulgaria numerum, non pretium, faciunt.

In arduo virtus coronam constituit. Eò frustra segnis aspirat, quò nullus eluctabitur, nisi, quem insignis rei gerendæ difficultas manuduxerit. Aude aliquid. Nihil invium est animo forti.

Ponderat Deus, non numerat opera; rem, non censum, attendit. Vide, quid ei offeras? & memento: tuo, ut supremo rerum omnium, Domino, rara, exquisita, & planè insignia esse debere, quæ offerri mereantur.

Nec utilitatem aut paupertatem tuam causâre: locuples est Dei gratia, cujus auxilio mira potes, modò adsit conatus, & fervor non deficiat.

7. Ja-

7. Januarij.

Unusquisque persuasum habeat: tantùm se in spiritualibus profecturum, quantùm ab amore sui, & commodi proprii affectione sese subtraxerit. S. Ignat. apud Bart. l. 4. §. 22.

NEmo potest duobus Dominis servire, unum ex iis odio habebit, & alterum dilget. Cor divisum esse non potest. Partem Deus non accipit, si eam terrena gravent, & inficiant.

Hæc unica torporis nostri causa est, quòd ita diligamus Deum, ut nosmetipsos non omnino aspernemur, hoc est: partem in utramque claudicamus, & ideo tam lento, tamque incerto pede ad æternorum amorem assurgimus.

Ut ovum à sole non attrahitur in sublime, nisi vacuum; nec lignum flammam concipit, quàmdiu est madidum; ita quò minùs anima corporalibus adhæret, eò rationis, divinorúmque capacior, & magis sua, est.

Irrationalis, brutúsque appetitus quamdiu penitus extinctus non est, semper ad-

ver-

versus rationem,& sanctiores affectus insurgit, & nativo pondere ad ima retrahit, Resolutione opus est, ut ex toto in spiritualem convertatur.

8. Januarij.

Non potest fieri quid dignum Deo, quin vel mundus tumultuetur, vel infernus turbas cieat. S. Ignat. apud Nolar.

SEmper infestæ luci sunt tenebræ, nec bonos inter & malos firma coalescit amicitia, Ut vermis fructus magis maturos, ita malitia eos plerumque arrodit acerbiùs, qui meliores.

Certum bonitatis indicium est, malis displicuisse; vituperium foret à talibus amari,& commendari. Nihil pensi habe, si de te ii loquantur malè, qui nthil faciunt bene.

Nec censeri debet malum, unde meliores simus. Cos ista virtutis est. Non parùm juvant mali probos, dum persequuntur; augent patientiam, merita cumulant.

Quid times? nec mundus,nec infernus totus quidquam in te possunt! ubi plura sunt obstacula, ibi abundantior est Dei gra-

gratia. Tu contrà audentior ito. Victoriæ occasionem arripe, Triumphi materia est. Hìc fortitudo tua campum nacta est, quæ sine hoste ingloria latuisset.

9. Januarij.

Multò ardentiùs insistendum homini interiori domando, quàm corpori, & frangendis animi motibus, quàm ossibus. S. Ignat. apud Bart. l. 4. §. 12.

INeruditum vulgus, quod ultra corticem nihil videt, nec medullam attendit, ab externo, qui sub oculos cadit, rigore metitur sanctitatem: quasi verò sub fune, sub tegete arrogans mens latere non possit. Quid juvat abstinere à carnibus, & famam alienam arrodere?

Quod Deo placet, internum est: externa, nisi vim ab interno accipiant, Deum non movent. Illa plus arrogantiæ habent, ista plus meriti. Cædes boum, vel corporis laniena, quid meretur? si passio vivat.

Satis corpori provides, si animo bene sit consultum. Non ex corpore bono bonus animus, sed ex bono animo bonum corpus

pus redditur. Plurimùm in corpus animus potest.

Illud bonum tibi cupio, quod mihi, nempe internum. Hoc sanè non vulgi opinio, non rigor apparens, sed animi ad rectæ rationis regulam compositi tranquillitas facit. Intus bonum habitat, frustra foris quæritur. Qui soldæ sunt virtutis, plus habent saburræ, quam veli.

10. Januarij.

Liberalis est Deus, è manibus illius accipio, quæ non invenio in manibus hominum, si nihil hi dederint, accepturus sum à Deo omnia, S. Ignat. vitæ l. 4. §. 23.

ANgusta est hominum liberalitas, modicum est omne, quod habent, quod ipsum, si largiendo diviserint, minùs remanebit. Unicus Dei thesaurus inexhaustus est, plurima dando, nihil imminuitur. Huc ergo spes.

Spes nostras Deus vincit beneficiis. Solemus sperare plus, quàm possideamus, optare verò amplius, quàm speremus. Tot autem nobis beneficia pollicetur Deus, ut nemo minùs sperare possit, quàm optare.

Tot

Tot ſyngraphas Divinæ liberalitatis, quot ſpes, quot vota, habemus; quidquid petitis, credite, quia accipietis. Vide, quàm facilè ſit divitem fieri.

Nec minùs dat, quàm promiſerit. Verba enim amantis, opera ſunt: lingua beneficentiæ, manus. Faciliùs liberali eſt dare, quàm negare. Cur pauca petimus?

II. Januarij.

Proprium Divinæ bonitati eſt ea ſolertiùs defendere, quæ à diabolo acriùs oppugnantur. S. Ignat. in Hiſt. Soc. P. I. l. 9.

DEus totus oculus eſt, in noſtra commoda ſemper vigil; Et ſicut Dux magni exercitûs, eò ſuppetias mittit, ubi validior inſtat inimicus.

Felix pugna, ubi de ſuccurſu dubitare non licet; quam nec nervi, nec annonæ, nec ullus mediorum defectus moratur. Quid diffidat, qui Omnipotentem habet fœderatum?

Cauſam Deus ſuam non deſtituet. Si nos ab orco premimur, illa à nobis impetitur; ideò tam prona in noſtri defenſionem mittit ſubſidia, modò nos iis uti non negligamus.

For-

Fortis, & mille fraudium artifex hostis est, qui te oppugnat, cave solus cum eo congredi. Si tibi fidis? jam victus es. Si Deum in suppetias voces, omnes ejus artes securus ridebis.

12. Januarij.

Nisi charitati, & humanitati comes est veritas, jam nec charitas, nec Humanitas fuerit, sed fraus, & vanitas. S. Ignat. apud Bart. l. 4. fol. 381.

HOstis apertus minùs nocet, quàm fictus amicus; illum mediocri diligentiâ facilè quis cavebit, hunc nullâ satis. Qui suavi quadam eloquentiâ cordis tui intima subiit, quàm certa, tam grandia tibi vulnera infligere potest.

Oculata debet esse conversatio, sed magìs amicitia. Diu delige, priusquam diligas. Sæpe sub læto gramine serpens latet. Fide, sed cui? vide.

Nemo sæpiùs decipitur, quàm qui verbis credit. Sæpe cor felle plenum mellea verba eructat. Scypho nempe aureo venenum propinari potest, ut avidiùs hauriatur. Sic dulci fistulâ volucrem auceps decipit.

Nul-

Nullus Deo sincerior est amicus: Verba vitæ, & veritatis æternæ habet; Huic soli te, tua, tutè confides.

13. Januarij.

Quantò arctiùs se quis Deo astrinxerit, & liberaliorem erga summam Majestatem præstiterit, tantò eum in se liberaliorem experietur. S. Ignat. Con. p. 3. n. 1.

NOn perit, quod Deo datur; quò liberaliùs terra vapores ad cœlum mittit; tantò uberiores inde imbres recipit, quibus fœcundetur: imò, si terra bona centesimo fructu reddit sementem, quam accepit, nunquid aut sterilior, aut illiberalior erit creator suâ creaturâ?

Liberalitas hæc quæstuosissima est; quò plus largiris, tantò plus habes. Sic sanè perdere, lucrum est. Servare avaritia est sordidissima.

Accipit Deus modica, reddit plurima, pro momentaneis æterna, pro perituris semper duratura, divina pro creatis refundit. Se dat pro te. Hic sanè census omnem explere cupiditatem potest. Quid adhuc moramur nos, & nostra, Deo dare?

Illud

Illud attende: parte contentus non est, totum, quod habes, imò quod es, exigit Deus. Da; tua non das; qui dedit omnia, repetit omnia. Cur ex alieno illiberales simus?

14. Januarii.

Ille Religiosi nomen implere se credat, qui integrè non solùm à sæculo liber fuerit, sed etiam à se ipso. S. Ignat. vitæ l. 3. §. 38.

O Magnum Religiosi nomen! grandis prærogativa! cui tot privilegia principes, tot præmia Deus præparavit! sed ut nomen hoc impleatur, multa, eáque minimè vulgaria exigit.

Ingens Religiosorum est copia, si numerentur, fortè non ita grandis, si ponderentur. Si testimonium, & fidem vestis faciat, innumeri, si sola facta, ut decet, vocem inveniant, utinam plures!

Magnum quidem est, & suâ laude dignum; Christi amore res, & spes rigoroso pede conculcâsse: verùm nisi se ipsum cum omnibus concupiscentiis suis reliquerit; mundum in Religione quærit.

Quid

Quid juvat Christum sequi, si non detur consequi; Qui vult venire post illum, abneget semetipsum. Omni affectu vacuum te vult Deus, si vel modico teneris, actum est. Partem in utramque claudicabis, veste religiosus, mente sæcularis.

15. Januarii.

O mi Deus! si te nôssent homines! S. Ignat. vitæ l. 4. c. 28.

OMnis homo naturaliter scire desiderat; hinc tanta in multis studiorum aviditas, ut præ rerum cognitione opes contempserint, & honores. Sed ô vana mortalium studia, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium! Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum, si ea non ad unius Dei cognitionem dirigatur.

Frustra fatigamur, ætatem terimus, quantùm discimus, tantùm, & ampliùs ignoramus; tenebras, non lucem, adepturi, donec in Dei cognitione, &, qui inde sequitur, amore verè, solidèque docti esse conemur.

Nec ingenti hìc acumine, nec subtili Magistro, nec grandi opus est Bibliothecâ;

si-

sine verborum strepitu, in humili silentio, & solitudine cordis, hæc Dei cognitio discitur; abscondit hanc à sapientibus Deus ac revelat parvulis.

Quid beatos in cœlo facit, nisi Dei cognitio? vide quàm facilè beati esse possimus? disce modum. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

16. Januarij.

Vanitatis, & inanis gloriæ vitium ex ignorantia, & cæco sui amore, nascitur. S. Ign. vitæ l. 4. c. 4.

COmmune mundi malum, ambitio, à primis parentibus, divinitatem ambientibus, ad nos usque traducta! Hæc, si assentatoris alicus elogiô, velut brachiô fulciatur, quàm altè, Deum bonum! assurgit.

Sui æstimatio credula facilè est, non tantùm quæ sunt, sed &, quæ non sunt, credit, modò in sui commendationem dicta sint.

Infelices vanitatis aucupes! dici, & haberi avent, quod non sunt. Amant nempe decipi, & in erroribus exultant. Quanta hæc cæcitas! à fumo gloriæ causata.

Pro

Profundiùs te inſpice, quis ſis? quod ut ſcias, Deum cogita; tantùm ſiquidem decreſcet ambitio, quantùm in te creverit Dei cognitio. O Domine, noverim me, & noverim te!

17. Januarij.

Relinquere Deum propter Deum, magnum lucri ſpiritualis compendium eſt, nullum diſpendium. S. Iguat. apud Bart. l. 4. §. 37.

AD propria commoda, lucra etiam ſpiritualia, cæcus eſſe debet verus amor; irretortô hìc oculô amati unius placitum reſpicit; aliàs nos, non Deum, amaremus; non donaremus, ſed commutaremus; mercenarii, non filii.

Solatia etiam ſpiritualia, ſi noſtra ſunt, ſuſpecta ſint. Tantò plùs opus aliquod ſecuritatis, quantò minùs propriæ voluntatis habet. Hanc, etiam ſanctam, ſi deſeras propter Deum, ſanctiorem implebis.

Non ſola nos oratio Deo conjungit; nec illud ſemper optimum, quod maximum. Illud ſanctiſſimum, quod voluntati Dei magis vicinum.

Si pro domo, ex Dei amore, deſertâ hìc

centuplum,& ibi vitam æternam pollicetur Deus, quid ei daturus est , qui Deum deserit propter Deum? Qui plura dat,plura recipiet.

18. Januarij.

Ad quem virtutis gradum piger per multos annos non potest pervenire , eò modicè temporis intercapedine diligens mirabiliter volat. S. Ignat. in epist. de perfect.

UNa dies ferventium plus facit,quàm tepidorum longissima ætas, imò una hora bene acta etiam immortalitati otiosorum præferenda. Frustra vivit,qui bene non vivit.

Desidia in spiritu est mors superstes, vigil sopor; nam vacua est vita, quam non implet cura bene vivendi, Tales,cùm dormierint somnum suum, nihil inveniunt in manibus suis.

Sacra res tempus est , tantùm vale quantùm æternitas : hanc ut beatam obtineat,agendum est,ne sine fructu vita , sine bonorum operum fervore dies,elabatur.

Ab arbore fructus, ab agro segetem expectas,cur fructum tui contemnis ? Est tui usufructuarius ; tu tuimet pretiosus fur

fundus es, ferax prædium, & qui desideras à tuis fructus, priùs à teipso exige.

19. Januarij.

Intolerabilis tum mihi vita foret, si quid in anima mea humanum, & non omni ex parte divinum latere, comperirem. S. Ignat. vitæ l. 4. §. 5.

BOnum ex integra causa, malum ex quovis defectu. Felix non eris, nisi aut omnia contempseris, aut omnia habueris. Delicata felicitas est: miser es, si aliquid desit. Nullâ hoc arte faciliùs obtinebis, quàm Deum solùm amando.

Qui semel gustavit, quid sit DEUS, facilè fastidit alia omnia, torrente illo voluptatis fatur, nauseat super cibo omni leviſſimo, quod creatum est.

Ceu plumula, vel unâ guttulâ gravis, assurgere non potest, & licèt impetu in sublime attollatur, nativô tamen pondere in terram relabetur; Sic anima, vel modicô affectu terreno affixa, ad cœlum volare nequit.

Totus, quantus es, Dei, & à Deo es. Si non totum reddis Deo, injurius es; Dividi non potest amor tuus, totus Deo debi-

tus,& si totum des, in multis debitor ma-
nes! Quid si partem aliò derivares?

20. Januarij.

Non tantùm Dei habenda est ratio, sed etiam hominum, propter Deum. S. Ignat. vitæ l. 3. n. 27.

QUi sic amavit hominem Deus, ut se pro ejus amore immolaret, sic vult se amari ab homine, ut homo non negligatur. Nihil amori divino detrahit, qui proximum, propter Deum, diligit.

Nemo tam vilis est, qui non, quod amari & æstimari possit, habeat, & si hæc deficerent, quia res Dei, pretium sanguinis Christi, & imago divinitatis est, amor ei sine scelere negari non potest.

Si tuos, & nullius præterea, manes attendas, erit sanè, ut omnes te meliores credas, & uberem odii tui; & amoris proximi causam, nanciscaris.

Non huminum malitia facit, ut minùs proximum amemus: nostra passio & antipathia est. Hanc variô colore vestimus, quia nostra nos dedecora manifestare pudet.

21. J

21. Januarij.

Si fieri posset, ut amans Deum absque sua culpa damnaretur, facilius pœnas omnes inferni toleraret, quàm blasphemias, quibus damnati Deum execrantur, audiret. S. Ignat. apud Bart. l. 2. §. 27.

POena sensûs mala est, utpote quam decernit Deus, imò bona: quia peccati pœna, divinæ justitiæ instrumentum est: blasphemiam autem non potest non odisse Deus, &, qui Dei amator est, homo.

Amato injuriam irrogari, vulnus amanti tantò est magis intolerabile, quantò vehementiùs amat; cùm nec illam tueri possit, nec vindicare, bis infelix: & in se patitur, & in amato.

Qui se, ut debet, odit, illi pati durum non est: dum enim plectitur inimicus, quî hostis ægre ferat? ast eum affligi, quem amat, est pati sine remedio.

Innocentem pati videre, difficilè est, difficiliùs benefactorem, & quid esset, nisi difficillimùm, audite Deum, id est, omne bonum, bonum infinitum & immensum pati?

22. Januarij.

Ita homo quandoque patitur à diabolo, ut de mentis exiisse potestate videretur: ita de fit interdum naturæ adscribi, morbo nonnunquam, quod tentationi esset adscribendum. S. Ignat. in reg. de discret. spir.

SUbtilior dæmon est, quàm ut artes ejus ab obviis nosci possint. Princeps tenebrarum cùm sit, ut securiùs lateat, in abdito cudit technas; altiori hìc opus lumine quàm humanô.

Ut arcem oppugnaturus externa priùs opera demolitur; sic strategus infernalis, dum animam quærit, corpus aggreditur. Time cuniculos: nimia securitas maximum hìc periculum est.

Corpus impetit, ut animæ noceat: maniam simulat, ut bonorum operum interruptionem impetret. Ita solers in damna nostra, ut, si maxima nequeat, aliqua tamen inferre gaudeat. O si nos in lucra spirirûs tam avidi viveremus!

Permittit animæ hosti hanc potestatem Deus, vel ut humilitati nostræ consulat, vel ut suum in nos dominium exerceat; ita dum dæmon tyrannum agit; Deus manet Pater.

23. Januarij.

Plus plerumque latet periculi in minimis peccatis contemnendis, quàm in maximis. S. Ignat. apud Ribaden. l. 5. c. 7.

Nihil parvum est, seu bona, seu mala attendas, cùm utraque sint æterna. Semper quippe verum manebit: hoc bene, aut perperam factum fuisse; ita nihil non ad æternitatem facit, felicem, vel infelicem.

Qui vitia temnit, eò, quòd modica sint; quid viatorem tenuis etiam scrupulus morari possit, expertus non est. Tenue filum sat est, ne, quod vellet, nubibus se avis inferat.

Mala grandia facilè patent, & vel ipsâ mole suâ terrent, ut quæratur malo medicina; minuta latent, & contempta crescunt, donec evadant incurabilia.

Non quid, sed cui agamus? attendendum. Magnus est Deus, nihil est parvum, tanto displicuisse. Nulla est actio tam pusilla bene, vel malè facta, quæ non excedat gravissima Reipublicæ, imò Orbis universi vel condendi, vel evertendi negotia. Vide, quàm magnus error, parva neglexisse.

24. Januarij.

Nihil diu præponderat veritati ; oppugnari quidem potest , expugnari non potest. S. Ignat. ap. Nolarci.

OPtimus colorum candor est. Fraus & dolus nulli patrocinatur, & nive solis radiis decoctâ sordium acervus , qui diu latuerat, apparet ; sic à veritate, pulsis fraudibus, doli deteguntur.

Ut sol nebulis tectus latet quidem , at has tandem decoquit, & puriori luce serenior aspicitur : ita pressa licèt aliquamdiu abscondatur veritas, erumpit tandem.

Optima Politica sinceritas est. Alba mens nunquam erubescit , ubi vice versâ in ruborem cogitur deprehensa falsitas. Nihil fædiùs, fraude detectâ.

Versipellis se priùs fallit , quàm alios; dum enim alteri parat foveam , ipse prior in eam incidit. Justa pœna Talionis est, ut iisdem machinis obruatur iniquitas , quas aliis evertendis destinavit. Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter.

25. Januarij.

Diabolus, cùm adoriri quempiam, exagitare requ

réque infestiùs cupit, nocturnum tempus maximè observat. S. Ignat. in Exercit.

ILlud vigiliam inter & somnum quasi crepusculum, ut dubiæ lucis, ita dubiæ voluntatis tempus, opus habet custodiâ, ibi velut ex insidiis aggreditur hostis è somno excitatum, ut ex improviso figat aculeum.

Miser diabolus! aperto marte congredi veritus, latebras quærit; ut fur, noctem observat. Quid ages? solâ contra hunc furem opus est vigilantiâ, fugit, si se sciat observari.

Diei primitias occupat: ut enim dimidium facti, qui bene cœpit, habet; sic à malo, quòd absit, diei principio, ægre melior exitus posset exspectari. Prima debentur Primo.

Quàm sollicitus in nostri ruinam est dæmon? dies illi non sufficit, noctes addit, præoccupat vigilias. Væ segni, & in aurem utramque sine sui cura, sine superûm præsidiis, dormienti!

26. Januarij.

Abstinere à litibus non solùm liberale est, & Christianâ pace dignum, sed & fructuosum. S. Ignat, vitæ l. 4. §. 7.

SI quam rerum temporalium jacturam virtutis amore feceris, solet eam Dominus abundè compensare. Melior est pugillus in pace, quàm thesauri cum jurgio. Quid juvat augere censum, & imminuere charitatem.

Difficilè est litem movere, nec violare charitatem. Ut aliena ametur iniquitas, non præcipio; solùm dico: nunquam ita odio habendam esse injuriam, ut illum, qui fecit, odisse liceat. Cave, ne indignatus factis, simul & homini indigneris.

Minima charitatis jactura pejor est quavis temporali; hæc enim præterit, illa manet: pro qua vitanda totius etiam mundi amissio toleranda foret.

Punctum est, pro quo tantopere certamus. Si lucra petimus, æterna quæramus. Quid litigamus pro re, cui opinio nostra pretium fingit meliùs, quàm facit.

27. Januarij.

Periculi plenum est, unâ omnes viâ cogere ad profectum; pejùs alios ex se metiri.
S. Ignat. in vita.

QUot homines, tot sententiæ, tot diversi vultus, tam variæ voces; ita, ut pro-

prodigium sit, unum in his cum alio convenire; major in anima, rebúsque hanc spectantibus diversitas. Non sinunt se ad unam omnes modelam cogi.

Si suus pedi cuilibet aptatur calceus, nec unum cuique patellæ servit operculum; quî fieri possit, ut unà singuli animarum morbi curentur medicinâ. Hoc non esset sanare, sed perdere.

Ars artium est regimen animarum, ut quæstuosissima omnium, ita longè difficillima. Ut corpus, ita & animam, non cuilibet medico fidas. Quæras optimum.

Dum Spiritus Sanctus animarum Magister venit, in varias se partitus est linguas, & variis linguis loquebantur Apostoli: Omnibus nempe omnia fieri debet, qui audire vult Apostolus.

28. Januarij.

Si quæ à Deo creata sunt bona omnia in una, & in altera lance carcer, catenæ, probra locarentur; illa præ istis momentum habere deberent nullum. S. Ignat. apud Ribaden. l. 5. c. 10.

BOna, quæ mundus ita nominat, mala potiùs sunt, quàm bona, quia sunt

animæ detrimenta, peccatorum illicita, perfectionis impedimenta, Divini amoris obices. Et hæc tu bona credas? credas optabilia?

Et licet mala non essent, bona non forent, nec amorem mererentur. Quid enim sunt? si originem inspicis? nihilum; si naturam examinas? fluxa; si durationem attendas? brevia. Et hæc tam stultè deperimus!

Quæ mala mundus judicat, optima sunt: à perituris mentem abstrahunt; cogunt ad Deum; peccati occasionem adimunt. Cùm enim tædet vivere, quî peccare delectet?

Cùm bona fortunæ largitur Deus, dona miserit, an pœnas? jure ambigas, ast cùm premit adversis; nullum certius divini amoris argumentum.

29. Januarij.

Perpetuæ felicitati non fidendum: tûmque metuendum maximè, cûm ad nutum fluunt omnia. S. Ignat. in hist. Soc. l. 14. n. 9.

UT mare, dum maximè placidum ridet, tempestates coquit; & nunquam certiùs periclitantur arces, quàm dum pacatis foris omnibus hostis cuniculos agit: ita

plan

planè periculi plenum est animæ, non timere.

Non sunt tantæ amicæ sortis vires, ut copulet tranquillitatem cum perpetuitate, eò brevior esse solet, quò grandior. Quies hæc lassitudini potiùs, quàm fidei tribuenda; fugiet, avolabit. Vide, quantùm ei fidere possis.

Quidquid amitti potest, in censum bonorum referri non meretur. Si quis mutabili fundamento spes suas inædificet, non diu stabunt. Vir fortunæ omnis contemptor, se contentus solo, ad felicitatem Dei accedit proximè, quia uterque sufficit sibi, uterque sine alienis felix.

Quidquid felicitatis habes, intra te est, imò ipse es; nulli tibi thesauri sunt, esto arcæ turgeant auro, omnia bona tecũ circumfers, tam felix, tam dives, quàm bonus.

30. Januarii.

Certis in causis silere, quàm loqui præstat: nec vindice opus est stylo, ubi sui ipsius vindex est veritas. S. Ignat. in hist Soc. l. 15. n. 44.

NUllum certius vindictæ genus est, quàm tacere ad calumniam, nec di-

gnum agnoscere maledicum, ex quo vin-
dicta sumatur. Verbum fuit, non fulmen;
non est, quod commovearis.

Si hostis arma hebetes, pariter vincis,
ac si eadem fregisses. Utere prudente si-
lentio, clypeus erit, rejiciet ictum, ne vul-
neret, Tutius est clypeo, quàm gladio vin-
cere.

Dolebit, quia contemni se credet con-
vitians, si ad calumnias nihil reposueris:
Tace, ictum, quasi non senseris, dissimula.
Sic æmulus expectatione delusus, gravius
sentiet, & dolorem, quem alteri intentavit,
ipse feret, bis miser, in se afflicto, ac in al-
tero non afflicto.

Tum magnum probabis animum, si his
verbis major fuerit, nec ad quoslibet invi-
di motus commoveatur, Ranarum coaxa-
tio lunæ splendori nihil detrahit, nec tibi
oberunt calumniæ, si eas non tam verbis,
quàm factis diluas.

31. Januarij.

*Si quid rogeris, quod noxium credis, illud
cura: ut & quod postuletur neges, &
eum, qui postulat, amicum serves.* S. Ig-
nat. apud Nolarci.

Con-

CONcedere, quod nocere potest, nocentissimum inimicitiæ genus, non beneficium est. Mater est, quæ cultrum subtrahit, ne filius vulneretur; tum amat efficaciùs, dum negat nocitura. Nescimus, quid petamus. Si quid negandum est, ita fiat, ut benevolentia suppleat rem petitam; sic enim fiet, ut petens plus accipiat, quàm rogaverit, reíque inferioris carentiam melioris obtentu non sentiat.

Ut munus datum cum malevolentia, pretium amittit; sic negatio cum suavitate repulsam non sentit. Hoc est amaras potiones benevolenriâ condire.

Et repulsam, & contumaciam pati duplex vulnus est, quod simul ægrè ferri potest. Ut gratiora sunt amantis vulnera, quàm fastidiosi oscula; ita benevola negatio morosis præponderat beneficiis.

I. Februarii.

Æger valentium conatus tutò remittat, æquitate animi, & patientiâ compensare contentus, laborans corpusculum non frangat. S. Ignat. ap. Nol.

INgentia sunt ægrorum desideria, ingentia designant opera, si morbus absit: fallimur

limur nempe: zelum putamus, & sensualitas est; enim verò non tam laborare, quàm morbi molestias effugere, cupimus.

Quid Indias designas? lectus tibi arena, & campus est uberrimæ messis. Martyria sitire necesse non est, habes ad manum carnifices morbos, habes in lecto carcerem. Si scias ubi, omnium tibi meritorum campum ægritudo pandit.

Si tuis Deus laboribus egeret, vires ei pares non negaret; patientiam petit, non victimam: non corporis sudores, sed animi æquitatem expectat.

Grandia illa, quæ optas, opera plus tuæ voluntatis, Divini beneplaciti minùs habent. Quantò Dei voluntas tuis desideriis sanctior, tantò & morbus ægro præ Apostolatu utilior est.

2. Februarii.

Qui aliis utilis esse cupit, sibi multùm priùs vacare debet: ardeat prior domi charitate, qui amat alios inflammare. S. Ignat. ibid.

NOn efficaciùs præcipitur pietas, quàm agendo; nulla siquidem melior legum glossa, quàm exempla. Omnes, qui ea viderint, imbuentur, nec ullo ege-

bunt

bunt commentario. Vidisse, dediciſſe eſt.

In arena priùs ſe exerceat miles, qui certum cupit ictum intentare; malè diſcitur inter pericula, & nimia ſui fiducia ſerò nimis damnatur.

Animæ pericula & plura, & graviora ſunt corporeis. Alios ſalvaturus ſe ne perdat, præſidiis eget validioribus. Inter malos non fieri malum, nec trahere à lue infectis contagionem, artis eſt nec obviæ, nec vulgaris.

Ordinata, ſi vera, eſt charitas; ſua priùs, quàm aliorum lucra reſpicit, nec ullum præ ſe cupit eſſe ſanctiorem; nam, ſi nemo dat, quod non habet, quî ſpiritu vacuus hoc alios replebit?

3. Februarii.

Quibus in domibus ſuda ſemper, & immota dominatur tranquillitas, ibi multùm ſit, niſi vitia nidulentur. S. Ignat. apud Bart. l. 3. §. 36.

Nihil infeliciùs conſtanti felicitate. Ut terra nullo conciſa vomere, aut ligonibus agitata nihil niſi lolia, ſic longa proſperitas vitia nutrit. Continua namque proſperitas emollit animum, virtutis ſtudium labefactat.

Plu-

Plures deliciis, quàm adversis, abun-
dantiâ, quàm fame, blandienti fortunâ,
quàm adversâ perierunt. Ærumnis alitur
felicitas. Nemo censendus est miser, qui
miseriâ suâ contentus vivit.

Quid si prosperô, quem constanter ex-
periris, rerum successu hìc merita tua sol-
vat cœlum, ne sit, quod accipias in futuro.
Hæc sanè, si ulla, infelicitas est maxima:
æternæ felicitatis spe privari.

Si duplex cœlum sperare præsumptuo-
sum est; quis hìc appetat rosis coronari,
si spinas in æternitate timere debeat? Hìc
ure, hìc seca. Qui nihil patitur, patietur

4. Februarii.

*Malè ponitur in precum assiduitate studi-
um, quod in domandis affectibus collocan-
dum erat.* S. Ignat. vitæ l. 3. §. 12.

AFfectibus vis & vigor tollendus est,
ne nocere possint. Ut non satis est
tondere senticeta, nisi eradicentur; inob-
servata germinabunt: ita vitia, nisi valid
virtutis manu stirpitus evellantur, sempe
creabunt periculum.

Nec partem secare cupiditatis est satis
omninò extinguenda. Ut fera vulnerat
se

ferocior fit, sic interdum mutila cupiditas violentiùs trahit. Ignis si modicô solùm rore impetatur, vehementiores in flammas assurgit. Bonum ex integra causa.

Nec unô domitô affectu pacem meditare, vivunt alii, qui te malè perdant. Quid interest unum, alterúmve cecidisse, cùm plures supersint! Unus sat est miseriæ. Nihil securitatis est pauciores inter hostes versari. Unus sufficit, ut vincaris.

Orare, ut longè faciliùs est, quàm se impugnare; ita hoc præ illo laudabiliùs. Quanquam nemo vir erit magnæ orationis, nisi paris fuerit mortificationis.

5. Februarii.

Abfit, vel nocte una sub eodem tecto cùm illo commorari, cujus animam gravi peccato noxiam noveris. S. Ignat. vitæ l. 4. n. 35.

QUô momentô anima peccato consentit, elongatur à Deo, majúsque Deum inter, & peccatorem, quàm cœlum, & terram intercedit intervallum. Quem ita odit, ita fugit Deus, quî tu amare & cum eo agere possis?

Quan-

Quantò vehementior Dei amor pectus occupat, tantò acerbior odisse debet ejus inhonoratorem, imò parricidam. Amicus Dei, hujus inimicorum amicus esse non potest. Qui peccatorem non odit, Deum non amat.

Trahuntur ex conversatione mores, & mali etiam nolentibus vitia sua affricant.

Longè proniùs est, ut à malo bonus quàm à bono malus sua in consilia, & mores inducatur.

Ut cum pesti afflato nemo prudens habitaverit, sic amicitia, & mora omnis dissolvenda est cum eo, qui per peccatum factus est Deo, Angelis, bonisque omnibus abominatio.

6. Februarii.

Curas in mensem, vel annum imminentem mittis? heu me! unde tibi tam diuturnæ vitæ fiducia? S. Ignat. vitæ l. 4. §. 30.

Quotidiana sunt humanæ caducitatis testimonia, & super tam fragili fundamento improvidi nescio quas machinas machinamur! nemo sibi tutò crastinum polliceri cùm possit, ita vivendum, tanquam hodie morituris.

Ni

Nihil in salutis negotio differendum; avolat vita, cum qua clausa est janua merendi: vela contrahe, hodie vive: crastina quid ferat dies, incertus, nunc salutem tuam operare.

Quæ citò fiunt, duplicem laudem habent, & gesti operis, & celeritatis; utramque amittunt dilata. Nullâ in re magni nomen obtinebit, nisi cùm Alexandro statuat: nihil differre in crastinum, quod hodie dari possit executioni.

Nec flos magis caducus, nec vitrum fragilius est, quàm sit spes longioris vitæ: illum flatus decutit, istud ictus commi-nuit, sed hanc mille die uno casus adimere possunt.

7. Februarii.

Cùm quis impugnatur, semper habeat, à quo sustentetur. S. Ignat. ap. Ribad. l. 5. c. 10.

PRima belligerantium cura est, habere fœderatos. Væ soli! cùm ceciderit, non habet sublevantem; tuo consilio, aut viribus fidere, certum audaciæ argumentum, sed & ruinæ initium est, quod tot tristes casus ostendunt.

Quò validior, & astutior hostis, cum

quo

quo congrediendum, tantò decet ſuis vi
ribus minùs fidere; accerſendæ ſunt ſup
petiæ. Hoſtis noſter dæmon eſt, & fortiſ
ſimus, quis ſolus cum ſolo congredi præ
ſumat?

Candor ille animi ſe, & ſua dejection
alienæ ſubmittentis novum è Cælo robu
accerſit, quo munitus præſidio vafri hoſti
fraudes non timebit.

Odit lucem Princeps tenebrarum; fu
git, dum ſua propalari videt conſilia: & u
cuniculi, ſic omnes ejus technæ vim ami
tunt, ſi pateant.

8. Februarii.

*Si vis ſcire, quid à te velit Deus, omni t
primùm affectu & in alterutram parten
propenſione exuas, neceſſe eſt.* S. Ignat
in Exercit. hebdom. 2.

IN ſibilo auræ tenuis loqui Deus conſue
vit, non auditur in tumultibus, ubi pu
gnat paſſio, aut partem in unam impelli
natura, non percipitur locutio Dei.

Invitat Deus animam ad ſolitudinem,
dum ei vult ad cor loqui. Solitudo hæc
nec loci, nec corporis, ſed affectûs eſt. Tum
auditur vox dilecti, ubi ſolus cum ſola
converſatur. Qu

Qui deliberat, Deum solum attendat; huic consilia sua inædificet, reliqua omnia caduca sunt: delectant, sed ad tempus; prosunt, sed non perpetuò.

Omnis electio cauta esse debet, illa verò cautissima, ex qua pendet æternitas. Nec affectus hìc, nec sanguis & caro, nec sensus locum habere debet. Opus est superno lumine, & prona in te voluntate.

9. Februarii.

Nunquam agas vel loquaris, nisi priùs, an id placeat Deo, prosit tibi, ædificationique futurum sit proximo, cogitaveris. S. Ignat. ap. Lyr.

UT humanæ, ita & divinæ prudentiæ amussis lingua est. Hac, qui ritè uti novit, næ ille in utrâque magister sit. Nulla hâc artium difficilior. Qui in lingua non offendit, hic perfectus est vir.

Ars nulla sine regula discitur: illa pro arte bene loquendi securissima; si ter verbum revocetur ad limam, priusquam semel erumpat ad linguam; scilicet ne Deo, ne sibi, ne proximo noceat. Hæc si in usu esset omnibus, multò minùs, sed meliùs loqueremur.

Mi,

Mira res! tacere facilius est, quàm loqui. Rarò tacuisse nocet, nocet frequentissimè esse locutum. Et tamen pauciſſimi, qui tacere sciant: nempe natura semper inclinat ad pejus.

Prævidere quid tibi, quid proximo, quid honori divino expediat, hominem distinguit à bruto: ideo nobis mens & ratio indita, ut hæc morum & linguæ magistra facem præferat, ne abeamus in devia.

10. Februarii.

Grandia in Dei obsequio præstare qui desiderat, ante omnia caveat, ne nimiùm sapiat. S. Ignat. in vitæ l. 4. §. 22.

ANimi demissio, ut proprii, sic & alieni in virtute profectûs fundamentum est, sine quo quicquid ædificatur, ruinæ præparatur.

Altissima rerum omnium virtus odita: libentiùs amplectitur medium, ammodum. Deus altissimus quidem est, eum tamen, nisi per humilia non pervenitur.

Nec enim bonum in magno, sed in bono magnum collocandum. Æstimat illum plus Deus, qui se minùs; illum favore su-

replet, quem sui æstimatione plùs exinanitum reperit.

Cum humilibus ut sermocinatio, ita cooperatio ejus. Depressione nostri exaltatur Deus, qui gloriam suam alteri non dat, in hoc glorificatur maximè, si nos ejus amore maximè deprimamur.

11. Februarii.

Prudentia non parentis esse debet, sed imperantis. S. Ignat.

NUlla major est prudentia, quàm quæ extra erroris periculum hominem constituit, ultra hanc nec facultas humana ire, nec desideria possunt assurgere, quam sine difficultate discit, qui obedit.

Nulla scientia tantam habet infallibilitatem, quantam præstat obedientia: principiis primis priùs & clariùs est: obediendum esse.

Humanæ rationes postponendæ sunt divinis. Si locus illis detur, & via semel excusationi Pandatur, vis omnis & vigor obedientiæ interibit.

Prudentia carnis est, quæ cuniculos agit obedientiæ subvertendæ, mille suppeditat illa rationes, ut vel unum à commodis suis alienum opus subterfugiat.

12. Februarii.

In domo ritè ordinatâ senes juventutem, juvenes vivere debent senectutem, ut ex illis juvenum alacritas, ex his senum maturitas exigatur. S. Ignat. vitæ l. §. 13.

SEnex ut venerationem jure poscit à juvene, sic huic multùm debet: vitæ nempe probioris exempla; ut quem præcedit annis, non sequatur pietate. Senectus est norma gregis, speculum morum.

Gravius peccat senex, quàm juvenis; hujus culpam vel ignorantia excusat, vel naturæ ardor imminuit. Senem accusant omnia: ætas, experientia, mortis propinquitas, exempli ratio.

Vix unquam soli peccant senes, trahunt in sequelam juvenes; quis etenim culpam possit in juvene, quod toleratur in sene. Quot in communitate senes, tot morum sunt magistri; vox, facta; præcepta, sunt exempla.

Multùm à sene discit juvenis, si mercurium solidare, id est, motus frangere, coercere impetus, & levitatem maturitati didicerit temperare.

13. Februarii.

Plùs exquisita Prudentia cum mediocri sanctitate, quàm cum minori prudentiâ major sanctitas. S. Ignat. vitæ l. 5. c. 10.

TAntò minùs ignorandum, quantò amplius est, quod curandum assumpsisti: meliùs regit sagacitas, quàm potestas, plúsque industria efficit, quàm vires potuissent; ut bene imperes aliis, ratio imperet tibi.

Malè tamen prudentia dicitur, quæ astutia est, hæc corrumpit, non promovet imperium; fraudes detectæ contemptum referunt, quæ subjectionem venabantur.

Infirmum regiminis fulcrum est simulatio, mima prudentiæ; quem de sinceritate suspectum habet subditus, paribus occurrere armis avet, tutáque omnia suspecta credit. Dissimulandum sæpe, simulandum nunquam.

Nemo prudens, nisi bonus; sola illa audem habet prudentia, quæ ad æternæ apientiæ leges disponit omnia. Humanæ rudentiæ consilia sunt caduca. Quis tutò iratur arundini?

14. Februarii.

Vineæ Domini operarii altero tantùm pe terræ insistere, altero ad iter urgendu sublevato esse debent. S. Ignat. in Epis Gosw. Nikl.

Differre nolentis est. Morosus obed dens parum distat à cõtumaci: contri ut qui citò dat, bis dat; ita qui citò pare duplici se obedientiæ præmio dignũ faci

Quid non mora sæpiùs obfuit? freque ter salus à momento pendet. Ubi dam sunt exigua, mora fortè veniam mere posset, sed ubi anima, ubi æternitas per culum subit, nullâ satis pœnâ expiatur.

Parendi promptitudo excoctæ virtu characteristice est: cor enim omni affec vacuum, solique Dei nutui intentum, est, virum secundum cor Dei signat.

Nescit tarda molimina Spiritûs sanc gratia: nulla certior aut celerior ad virt tem obtinendam semita, quâm ut cum j bentis nutu parentis certet promptitudo

15. Februarii.

Possidenti Deum, etiamsi nihil habeat, nil deest. S. Ignat. apud Bart. l. 4. §. 35.

L

LUcrum planè mirabile, compẽdioſiſſima diteſcendi via, non multùm appetere. Unum ſi quærimus, omnia poſſidemus. Compendium ſingulare! ſed quod non invenimus, niſi alia omnia perdamus.

Facilè eſt, divitem fieri, ipſi nobis paupertatem imponimus, dum noſtræ nobis imponunt cupiditates; has ſi excutiamus facilè paupertatem ſuſtinebimus. Quàm diu toleramus cupiditates, tam diu ſumus nobis intolerabiles.

Beata commutatio! modicum, imò nihilum dare, & infinitum accipere. Si aurum habeo, quid habeo, & quamdiu? ſi Deum poſſideo, quid non habeo, & hoc quam diu?

Inſanus ſit, qui guttam ſitit ex lacuna, cui mare immenſum præſtò eſt puriſſimæ voluptatis. Cui difficilè accidat, ſiliquas præ manna nauſeare?

16. Eebruarii.

Etiamſi nullo ſuperaddito laus Deo par foret, ad majorem tamen Chriſti imitationem eligenda potiùs eum eo foret paupertas, contemptus, & inſipientiæ titulus, quàm opes, honores, & doctrinæ exiſtimatio. S. Ignat. vitæ l. 3. c. 3.

Ut

UT magnus discendi stimulus est, no bilitas magistri, sic in hujus verba ju rare ingenui officium est discipuli. Cujo tu doctrinam audis? mundi, an Christi?

Ut docti simus, doctissimorum senten tiis adhæremus, ac oppositas mordicùs re fellimus. Cur minùs apud nos ponder Christus, quàm in naturalibus Aristotele Aquinas in Theologicis inveniat?

Quid profuit Epuloni affluentia? He rodi arrogantia? profuit autem plurimù Lazaro paupertas, demissio publican Exitus acta probat.

Similitudo morum mater est amorum hos à Christo peculiares non merebitu nisi ejus se moribus, & consiliis quàt proxime conformare studuerit. Amo enim vel pares invenit, vel facit.

17. Februarii.

Quidquid in secreto loqueris, ita profer, si toti hominum communitati loquereris.

S. Ignat. apud Nolarci.

INfida hominum fides est, promitti non servat fidem, quantamcunque se creti custodiam juret, incuria prodet, tan tóque faciliùs, quantò severiùs adstrinxe ris ad silentium.

Vi

Vis tua manere in abdito? prior ſerva: nec exemplo doceas, quid alter facturus ſit. Fruſtrà verbis legem imponis ſilentii, ſi exemplo veniam præbes manifeſtandi: ut tu, ita & alter ſuum habet amicum, cui fidere aliquid poſſit.

Minima præ reliquis fides fœminis & pueris habenda: curioſum, & garrulum utrumque hoc eſt animal. Ubi minùs prudentiæ, plùs ibi garrulitatis eſt.

Secreti tenacem eſſe, non modò prudentiæ, ſæpe etiam conſcientiæ eſt. Nullum majus depoſitum quàm arcanum, quod, ſi cuſtoditum vis, prior ipſe ne propala.

18. Februarii.

Qui Religioſi Ordinis homines ad procurationem divini obſequii adhibent cum detrimento eorum regulæ, arborem deſtruunt, ut fructum inde carpant. S. Ignat. apud Bart. l. 3. §. 46.

ITa ſe impendere aliorum ſaluti debet Aſceta, ut ſuæ nihil officiat. Sic namque Medicus ſibi priùs conſulit, ne contagionem curaturus in aliis, ipſe trahat.

Qui suâ sponte, qui celeriùs, quàm ferat ætas, qui præter officium se proximo curando ingerit, plùs plerumque damni, quàm fructûs colligit, se perdit, & alium non lucratur.

Regula, est Religiosi anima, quantùm ab illa recedit, tantùm perdit spiritûs; sícque accidit, ut vivum cadaver alia omni & aliter agat, quàm deberet, sibi noxium suis gravis, aliis inutilis.

In illis, quæ tuæ vocationis sunt, de aderit benedictio, hanc in aliis non sper Si alia â te fieri voluisset, huc non vocâ set. Recedere ab instituto, est accedere a errorem omnium gravissimum.

19. Februarii.

Quisquis amat felicem rei à se agendæ finem imponere, se ipsum negotio, non negotium sibi accommodet, est necesse. S. Ignat. apud Ribaden. l. 5. c. 11.

QUi cuncta suo conformari arbitrio contendunt, & arrogantiæ multum ostendunt, & ignorantiæ: illâ sibi, hâc aliis nocent; nam & secundo rerum agendarum successu destituuntur, & turpi se ipsos labe prostituunt.

Pru

Prudens Medicus priùs arteriam tentat, naturam attendit, deinde de medicina præscribenda solicitus, quæ cùm prodest uni, officit alteri, etiam pari morbo laboranti. Nec minor in animæ cura desideratur discretio.

Omnibus omnia fieri debuit Apostolus, qui Doctor gentium audire voluit. Ut crepidam pedi, non pedem illi accommodat artifex, ita se hominibus aptet magister.

Media, non quàm pretiosa, quámque sibi in amoribus, sed quàm apta fini, attendendum: secus onerabunt ampliùs, quàm juvabunt.

20. Februarii.

Experimento didici, ultra modum longis contemplationibus addictos, plùs patere dæmonum præstigiis, ac reddi intractabiles. S. Ignat. apud Bart.

INfallibile erroris argumentum est, suo ductu regi velle. Nemo sanctus simul & intractabilis, quia nemo intractabilis est humilis. Cùm tamen non contemplatio, sed humilitas certus virtutis index sit.

Contemplatio, quæ te facit in sensu tuo abundare, tibi placet, non Deo; parùm

proficua, nisi ad arrogantiam; otio vici-
nior, quàm negotio.

Complacentia illa ex contemplationis sublimitate orta, satis ostendit, cujus ma-gisterio doceatur, ejus nempe, qui parens est superbiæ.

Seraphinum se mentitur vafer diabolus, sublimes ingerit affectus, sanctissima proponit mysteria, & ad altissima invitat; sed ut lapsu graviore ruas, eorúmque numerum augeas, qui priùsquàm ambulare nôssent, volare conati, turpiter ceciderunt. Tutiùs in humili.

21. Februarii.

Valentior nunquam contra nos evadit hostis tartareus, quàm, cùm secretò ac clanculùm operatur. S. Ignat. in exerc.

QUid magis pronum, quàm in tenebris errare? Qui sibi in rebus animæ facem præfert, ignem sequitur fatuum, & dum maximè egeret lumine, hoc se destitutum, ac in præcipiti positum videbit.

Non est præsidium ita validum, quod cuniculis everti non possit, nec unquam plus habet periculi, quam dum sui securum pericula non timet; momento nám que cor-

corruit, & tristi ruinâ docet, quam timendus sit hostis, qui latet.

Quem vel sui præfidentia, vel ab aliis, â quibus juvari posset, animi aversione inflammavit orcus, jam tenet ita constrictum, ut ægrè sit ruinam evasurus.

Pacem simulat hostis, ut tutiùs feriat; nullæ quippe insidiæ periculosiores sunt, quàm quæ plùs obtendunt securitatis.

22. Februarii.

Vel unicum impediviſſe peccatum, pro omnibus totius etiam vitæ laboribus & curis ſatis magnum impenſæ operæ pretium eſt.

S. Ignat. apud Biderm. l. 1. c. 17.

CAligat plurimùm, qui in vili etiam mendicabulo non videt ingens pretium, nempe ultra corticem ille non aspicit; lacernam cernit, sed latent pretiosissima, sub rudi concha inæstimabilis margarita, pro quâ emendâ decet omnes sumptus postponere.

Qui cogitat, quid Deus, quid creatura sit, facilè intelliget, quàm illius ab hac offensa sit enormis. Hanc impedire, est infinitum malum impediviſſe.

Animæ pretium tanti Christo constitit,

ut eam ſuo ſanguine, hoc eſt, infinito pre-
tio redemptam voluerit; quantò minori
nos eam emimus, licèt pro eâ totius vitæ
curas expendamus!

Una peccati labes æternis ignibus non
ſatis expiatur; cogita ignem, quid acerbi-
us? æternum cogita, quid longius? huju
periculo animam totius vitæ laboribus
eruere, eſt æternitatem momentis brevi-
bus emere.

23. Februarii.

Pete à Deo gratiam, ut multum patiari;
nam cui hoc tribuit, multum tribuit; in
hoc uno plurima ejus beneficia continen-
tur. S. Ignat. apud Bart. l 4.

QUantò magis homo exterior patitur,
tantò magis interior viget, illius mo-
leſtiæ hujus augent merita. Rerum tem-
poralium jactura lucrum facit æternum.

Satellitium vitæ patientia eſt, qui miſeriam
odit, mundo exeat, quàm diu vivit, ea
dulcorare poteſt, vitare non poteſt. Velut
quoddam numen tutelare miſeris, patiéti-
eſt, non quod tollat, ſed quod levet mala.

Ini tecum rationes, & ſi abſque palpo
verum fateri velis, quantarum quotidiani-

erroribus pœnarum te reum ages? Solvenda sunt hæc debita, numquid beneficium est, hìc ea potiùs, quàm purgantibus ignibus expiare?

Quanquam estò Angelus, ut impeccabilis fores, optandæ tibi cruces forent, si credas æternæ veritati, leve tribulationis æternæ gloriæ pondus operaturum.

24. Februarii.

Debet sana communitas se tueri, & totius integritatem maturâ partium corruptarum amputatione conservare, priusquam ex iis vitium trahat, quod sanum est.
S. Ignat. vitæ l. 3. n. 20.

MIra res! nemo solus vult esse malus. Pars in affecto corpore, quidquid ubique est vitiosi humoris ad se trahit: sic quasi aucto fœdere in corporis totius perniciem crescit.

Contagio pestis est communitatum. In ea dissimulanda benignum esse, crudelitatis est maximæ. Amputandum est membrum putridum, ne vicinum afficiat, sícque sensim sine sensu cor pervadat, & totum corpus periculo exponat.

Etiam nolenti sequiora nocent exem-

pla; nihil metuentes tenui halitu peſtem bibimus, non evitaturi malum, niſi ſeparatione longiſſimâ.

Et cœlum malis Angelis, & Collegium Apoſtolicum Pſeudo-Apoſtolo ſe liberavit, nec illis eſt dedecori, quòd indignos loco moverint. Malo perdito, duplex accreſcit bonum, ſemel ex imminutione mali, dein ex ſubſtitutione boni: Mathias Judæ lapſum abundè compenſat.

25. Februarij.

Pluris facienda eſt propriæ voluntatis abnegatio, quàm mortuorum ſuſcitatio. S. Ignat. ap. Nol.

MOrtuorum ad vitam revocatio nec meriti prærogativam, nec virtutis characterem, ſignificat. Gratia eſt gratis data, bonis & malis, Domino communicante, communis.

Quid prodeſt ſuſcitâſſe mortuos, ſi domeſtica vivant vitia, ſi pravi affectus vigeant; quibus mori, vita debet eſſe veri obedientis & virtutis characteriſtica.

Deo in Superiore ſubjici eſt optima vitiis extirpandis medela. Si tu obedis Deo, obediet tibi caro; tu majori, tibi minor ob-

tem-

temperabit. Si tu contempseris obedire Deo, nunquam efficies, ut passio tua obtemperet rationi.

Te præstat cadaver fieri, quàm cadaveri vitam reddere; cadaver ad locum, situm, & vestitum omnem indifferens, insigni obedientibus documento, nihil optat, nihil refugit.

26. Februarij.

Si à Deo expetenda sunt signa, & plura & clariora expetenda sunt de solis præceptis servandis, quàm de servandis consiliis. S. Ignat. apud Guartem. c. 22.

ANimalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritûs; Consilia Christi, si audit, non penetrat; onus videt, unctionem non attendit. Corticem nempe aspicis, non medullam, quò hebetudo oculorum non penetrat, ideo pauci consiliis moventur.

Magni erga hominem amoris indicium in Deo est, quos suis dignatur consiliis. Quantò est filiorum præ servis conditio nobilior, tantò major optimi Numinis dignatio erga eos est, quos in sortem filiorum invitat.

Sem-

Semper facta propositis minora sunt. Si soli præceptorum jugo te submittas, in proximo est, ut tentatione victus, etiam hoc excutias.

Optima, dum licet, eligere nemo prudens dubitaverit; tutiora præponimus in securis, & cur minor animæ, ac inferior cura salutis, habeatur?

27. Februarii.

Difficilior ad virtutem genius, si seipsum fortiter expugnet, duplò meritis auctior evadet præillis, quibus lene ac lentum ingenium nihil facessit negotii. S. Ignat. ap. Bart. l. 4. §. 12.

MAlè judicat, qui ex morum placiditate de virtute fert sententiam, non qui se gerat in externis, verùm qui se interiùs vincat, inspiciendum, ut vera virtutis decempeda statuatur.

Magnum naturæ beneficium est, velle conari, cui si labor accedat, id brevi insequetur, ut, quod negavit natura conatus efficiat.

Nec ita obstinatus est ullus genius, quem conatus non emolliat. Proxenetra naturæ, consuetudo est, ita seu celare, seu forma

formare novit indolem, ut agnos è leonibus fecerit, Aude aliquid.

Si consuetudo altera natura est, beatus es, quia pro gustu tuo naturam potes eligere. Muta mores, & naturam commutâsti, ex naturali in artificialem. Facillimum est passionum remedium, nova consuetudo.

28. Februarii.

Quisquis inter homines agere, versarique tutus desiderat, summi planè momenti id esse ducat, ut æquus sit omnibus, obnoxius nemini. S. Ignat. ap. Orland. l. 5. n. 24.

PArtiales affectus periculosi sunt: à naturâ, non virtute nascuntur, à passione, non ratione nutriuntur: se, non Deum attendunt, quem si respicerent, quàm sit pater omnibus æquus, viderent.

Punctum circuli decet imitari: ex eo pares in omnem partem ducuntur lineæ, hæ quantùm in unam plùs partem inclinarent, tantùm recederent ab alterâ. In medio virtus.

Ut sol eodem omnes vultu aspicit, futurus his injurius, si solus aliis luceret; ita

sine

sine plurium injuria uni addici non potest affectus. Omnibus esto amicus, nulli familiaris.

Ut charitas, non carnalitas audiat affectus, debet exeri propter Deum, vel quòd hujus imago, vel quòd sanguinis ejus pretium sit, quæ cùm omnibus æquè congruant, par in omnes affectûs motivum ferunt.

29. Februarij.

Si te Deus faciat multa pati, signum hab quòd te velit facere magnum Sanctu
S. Ignat. apud Bart. l. 4.

PAtientia cœli clavis est, adversa nos Deum compellunt, à quo abstrahu prospera. Plures salvarentur, si plures pl ra paterentur. Ut vites, sic & virtutes no nisi putatæ fructificant.

Si quæ in Angelos cadere posset invid ista foret, quòd homo pro Deo pati possi Angelus non possit. Gloria non voluptat sed adversitati, stat venalis.

Hæc est virtutis regula:: mala pati, bon facere; utrumque juvat patientia, cum qu malum non est, sine qua bonum non est.

Ut Medicus ægro jam desperato indu

get; quem secat, urit, disponit ad sanitatem; ita æternus pater filium, quem amat, castigat, cui parcit, non curat. Absit à me, Domine, prosperitas, absit indulgentia!

1. Martij.

Qui se, suásque rationes Dei obsequio postponit, huic Deus multò consulit meliùs, quàm potuisset ipse consulere sibi, si Dei obsequium suis rationibus postponere voluisset. S. Ignat. ap. Bart.

CUi prima est de Deo cura, omnia illi fluent secunda; cùm enim ea, quæ Dei sunt, curamus, ille curat nostra, eáque longè feliciùs, quàm ipsi non solùm præstare, sed & optare potuissemus.

Desideria propria suspecta nobis esse debent; cùm quid nobis expediat, ipsi nesciamus. Periculosa est nostra electio, id solùm est reliquum consilii, ut Deum amemus, & illum sinamus de nobis agere, quod illi visum fuerit.

Conatus nostri sæpe sunt detrimenta nostra, quæque appetebamus vehementiùs, quoties experti sumus, maximè nocuisse! Quæramus Regnum Dei, cætera adjicientur nobis.

Cùm

Cùm quis sui videtur oblitus, tun
Deus ejus maximè recordatur. Et quiden
ejus est Providentia, ut cura illi sit de om
nibus, tenerior tamen, & paterna de illi
qui sui minorem habent. Jacta spem tuan
in Dominum.

2. Martii.

Longè ad infima ei est descendendum quisquis eniti ad sublimia velit. S. Igna
apud Ribaden. l. 5. c. 3.

AD favores divinos alia non reper
tur semita, quàm per demissionem
Hâc ivêre, quotquot ad virtutis apicem
sunt eluctati.

Altiores obices, quos ob arduitatem
transilire non vales, profundè inclinatu
poteris superare. Ventus excelsas cedro
frangit, parcit myricis, quæ se ad omnem
ejus nutum submittere noverunt. Pericu
losa sublimitas!

Si recumbas invitatus in novissimo lo
co, sperare poteris te auditurum: amice, a
scende superiùs: Sic aquæ sublimiùs ascen
dunt, dum priùs profundiùs descenderunt

Humilitate velle honores mercari, du
plex arrogantia est; mereri altiora laudem
habe

habet, non quærere; laudabilia agere, non laudem affectare, labor est, qui suum ab æquo Judice præmium exspectare potest. O quàm parum sæpe humilitatis in humilitate! Aliud est esse, aliud videri humilem.

3. Martii.

Si vel ex gradûs, in quo stat, authoritate, vel ex officii, quod gerit, debito mundum reformare quis vellet, is à se incipiat est necesse. S. Iguat. apud Bart. l. 4. §. 36.

QUantò altiore te loco sors constituit, tantò majorem imposuit obligationem rectè agendi. Tibi velamen vitii nullum est. Patet omnibus, sed & omnibus officit, magis exemplo, quàm culpâ noxius.

Frustra est doctrina, quam facta non confirmant, levissima erit, ad nullius animum penetrabit, nisi ei pondus accedat ab exemplo. Oleum, & operam perdit, qui docet bona, cùm agat mala.

Ut optima etiam instrumenta nullum eximium artis opus per se dabunt, nisi artifex, qui eis utitur, eximius fuerit; sic planè consilia etiam saluberrima vim amittunt, nisi, qui ea sugesserit, etiam usu approbaverit.

De-

Deformis est mundus, reformationis quis dubitat? indigus est, sed primam in quisque curam acuat, ubi non deerit labo ri materia: qui sibi nequam, cui bonus?

4. Martij.

Si quando calumnias ab improbis, vel igna ris in te congeri observaveris, Deum ora ut avertat, ne quando mala de te dica tur, & vera dicantur. S. Ignat. ap. Bart.

TOta felicitas intra nos est, & hæc e beatitudo; miserrimi quippe essemu si probitas alieno pendere deberet ab arb trio. Talis & tantus es, quantus intra te, & Deo teste, es.

Si, nescio, quam tumidâ panegyri te in ter Sanctos fama collocet, malum no tollet, si malus es; ita vicissim, si tua te non arguat conscientia, satyras tutus ride, nihil de bono tollent.

Id solùm interest, nocens, an innocens vituperia patiaris? nulla nobis nocebit ad versitas, si nulla dominetur iniquitas. Non est, quod metuat innocentia.

Mens conscia recti securior mendaci famæ, quàm fluctus rupes excipit: tu multuetur hic, illa non commovebitur,

Con-

Confunde famam, aliter, ac illa vulgat, age.

5. Martij.

Prudentia tua statuendum relinquo, prastétne terrenis omnibus nunc illud opponere: Quid prodest homini? an verò postea brevi frustra ejulare: Quid profuit? S. Ignat. vitæ l. 2. n. 2.

AMantur flores, dum vernant, sed quàm breve tempus est! ubi exarescunt, abjiciuntur. Sic omnia terræ bona, dum sunt, quàm breve hoc momentum! delectant: illicò transeunt, & usu ipso fastidiuntur.

Dum opibus aut deliciis frueris, te crede somniare, discusso somno, nihil inventurus in manu, & quid hoc somnium? & quamdiu prodest?

Omnis gradus felicitatis, ad quem aspirare potes, fugacia secum trahit gaudia; splendidè levaris cum pyrobolo, sed momentum expecta, nihil supererit, nisi fumus, & hunc captare, quid prodest?

Nihil prodesse crede, nisi, quod æternùm prodest, quod ad beatam æternitatem comparandam conducit; obest autem

tem

rem graviſſimè, quod huic impedimentu
ponit.

6. Martij.

Qui mundum contempſit, ſtatuæ ſimilem
oportet, quæ nec lacernâ indui recuſ
nec purpurâ, quâ priùs ornabatur, de
ſtat ſpoliari. S. Ignat. ap. Lancic.

LOcupletibus feliciorem eſſe præſt
quàm locupletem, nec id admodo
difficile; ſi ſciamus, nihil deſiderare, n
ſola pauperem faciunt deſideria.

Miſeros nos facimus ſuperfluarum
rum ſollicitudinibus, & tenuioris fortu
impatientiâ, quam ſi ferre vellemus, mi
riæ omnes evaneſcerent. Non cenſu co
ſtat felicitas.

Præſtat dominum eſſe fortunæ, qu
ſervum. Dominatur; qui novit ejus do
contemnere. Servit, qui expetit. Morb
apud multos incurabilis, quibus per affl
entium omnium non deſunt vota. Scili
hydropici ſitis nunquam ſatiatur.

Uſum rerum neceſſitas definiat, non c
piditas. Modicum eſt, quo egemus, quid
ſuperflua curas extendimus? Beatior eſt
rus ſorte ſuâ contentus, quàm Cræſus pl
ra deſiderans.

7. M

7. Martij.

Minus de scientiâ, plus de virtute. S. Ignat. apud Bart. l. 5. c. 8.

NOn qui multa, sed qui utilia scit, doctorum syllabo est inserendus. Quantùm est in rebus inane! scire quod non prodest, proximum est ignorantiæ.

Nocet scire, quod non prodest, imò sæpe etiam, quod prodest. Scientia etiam inflat, nùtrit arrogantiam. Sicut non est inde beatior voluntas, quòd plura cupiverit, ita nec mens est sanior, quòd plurima noverit. Sciendi appetitus prima peccandi occasio fuit.

Infelix homo, qui scit creata omnia, & nec se, nec Deum noscit: beatus autem, qui hæc scit, etiamsi illa nesciat. Ea, quæ supra nos sunt, diligere præstat, quàm intelligere. Affectus plùs instruendus, quàm intellectus.

Discamus non opinioni, sed vitæ; non oblectamento animi, sed utilitati. Discamus vivere, non loqui; operari virtutem non specularj; hoc est, medullam præ cortice diligamus.

8. Martii.

Universum mel, quod colligi potest ex flor bus hujus mundi, tantam non habet d cedinem, quantam habet Domini JES fel & acetum. S. Ignat. apud Bart.

FElicitatis titulum injustè occupâru oblectamenta mundi, eò magis ab alienum, quò nihil infelicius est, quàm deri felicem, & non esse ; nisi tu æter perditionis causas in felicitate numeres,

Voluptas irritat appetitum, non sati non implet animum, sed inquietat; dul dinis guttam immenso amaritudinis m obruit, & momento blandiari æterni mercatur infelicitatem.

Ut ex amaris herbis mel conficere no runt apiculæ, sic amara Christi patien memoria dulcedinem propinat, mo sint, qui eam velint degustare. Hæc sanc hujus alchimiæ virtus est.

Amarescit, quidquid dulce mundus fert, & dulcescit, quidquid amarum ac dit, dum Christi passio menti obversatu

9. Martii.

Si mihi totius mundi aurum suppeter

non adjuvarem vel obulo illum, qui suâ culpâ se religione indignum reddidit. S. Ignat. ap. Bart. l. 3. §. 19.

SI perdatur thesaurus, quæ non funduntur lacrymæ? si periclitetur sanitas, quæ non curæ fatigant? & tantum bonum, quantum est beatitudinis æternæ pignus, arrha divinæ gratiæ inter levia censeatur?

Deplorata sanitas est, dum æger mala gravissima non sentit; imò credit, optimè secum agi, dum magnis passibus ad mortem properat. Perire, nec sentire, magna Dei pœna est.

Seu favores talibus cœlum mittat, seu dolores, semper timoris materiam præbet; dum favet, bona, quæ gesserunt, compensare, si premat, etiamnum vindicare, credi potest.

Illiberalior in eos plerumque Deus est, qui habendi spe, aut cupiditate se Deo subtraxerunt, digni minùs accipere, qui centuplum jurejurando promissum contempserunt. Leviora forent hæc, gravius illud iræ divinæ argumentum. Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò aptus est regno Dei.

10. Martij.

Id tibi principium esto, ut sermonis quidem ingressum facilè concedas aliis terren sapientibus, exitum verò tibi reserves, acceptum qualecunque sermonis metallum auro tingere coneris. S. Ignat. ap. Bart. l. 4. §. 36.

SI cum Doctore gentium Apostolo c pias sancto alios capere dolo, aucup ingenio uti debes: eandem hic cum ave, insidias struit, vocem simulat, ut suavi alliciat; pari tu communione sermo hominum benevolentiam aucupare.

Animalis homo non illicò percipit quæ sunt spiritûs, erigendus est sensim si sensu animus, & à terrenis non per saltu sed quasi per gradus ad superna eveh dus. Violenta terrent.

Amica hæc sermonis alternatio tha mathurga est, prodigia faciet, obstinatu pectus, quod violenta nequivit oratio m vere, suavior hæc familiaritas in ceram molliet, formam, ut voles, in omnem d cendum.

Primùm benevolentia obtineri debe quâ semel habitâ, captivum tenes animu

nec difficilè à terrenis ad æterna ſpontè ſecuturum deduces.

11. Martij.

Propter noſtram in ſpiritualibus rebus acediam conſolatione divinâ meritò privamur. S. Ignat. de diſcret. ſpirit.

SÆpe innocenter vapulat dæmon, cui deſolationem ſpiritûs adſcribimus, quæ fructus eſt acediæ noſtræ, quæ plùs nobis ſæpe, quàm dæmon nocet.

Quomodo ſperare Dei liberalitatem poteſt, qui adeò avaro in eum eſt animo, ut vel puſillum temporis ei pigeat immolare. Sic ille nos viſitat, ut nos illum colimus. Echo nempe eſt, æquâ fervori noſtro menſurâ reſpondet.

Heu me! quàm noxius animæ noſtræ hoſtis eſt acedia! Quot Dei favores impedit! quot merita diſſipat! quot conſolationibus privat! Hæc eſt malorum omnium, quæ in ſpiritu patimur, ſcaturigo; Vince hanc & hoſtes tuos enervâſti.

Quantò liberaliùs terra vapores in cœlum mittit, tantò fœcundiores inde imbres recipit. Noſtra in cœlum liberalitas ejus in nos metitur beneficia. Qui plena ma-

nu seminet, huic læta sub falcem messis niet. Qualem volumus, talem se nob Deus exhibebit.

12. Martii.

Plus unâ horâ Manresæ Deo Magistro scitur, quàm quidquid ubique Doctor est, tradere potuissent. S. Ignat. vitæ l §. 14.

Divinæ scientiæ schola suorum pro ctum non ex discentis ingenio, ex docentis voluntate metitur. Facile ibi evadere doctum, ubi ille spiritus ma ster est, in quo sunt omnes thesauri sapi tiæ & scientiæ.

Ut lumen raptâ repente nube fulgur momento abstergit tenebras, & multa tegit: sic divinæ illustrationis radius co affusus, pulsâ caligine tantum lumen affu dit, ad quod omnis sapientûm turba cæc tiat est necesse.

Frustra nos, & ingenium eviscera cum araneis: totâ nocte laborantes nil capiemus ex hac sanctorum scientiâ, n nos ille doceat, qui sine verborum strep ad cor loqui consuevit.

Nec speret profectum, qui nescit secu

habitare. Manresana specus aperit virtutis academiam, ubi magister crucifixus, cœlum, & terra liber, studium est meditatio. Hìc, qui doctus est, verè sapiens est.

13. Martii.

Nullum lignum aptius est excitando foco amoris Dei, quàm lignum sanctæ crucis.
S. Ignat. apud Bart. l. 4.

MIrabilis artifex amor est, qui amati memoriâ, velut foco usus adversa vel mitigat, vel planè tollit, imò, quod maximum ejus magisterium est, in dulcedinem commutat.

Ama, nec dura ulla senties; illi gemunt sub onere, qui nolentes ferunt; hi enim succutiunt onus, nec excutiunt. Totum pondus impatientia est.

Non vi cum adversa fortuna agendum, sed amore; majores huic, quàm fortunæ sævienti sunt vires. Ubi amatur, ibi non laboratur. Facilè crucem bajulat, qui bajulat, quod amat. Humerus, & robur patientiæ amor est.

Amor nostri crucem Christo levem fecit, Dei amor Christi crucem nobis tolerabilem faciet: Facilis est animi

duris in casibus fortitudo, non machin
non lacerto, imò nec voto eget; In nob
sunt omnia; robur virtutis amor est.

14. Matrij.

*Servitutis, aut quæ mihi ante oculos pon
tur, mortis timorem in minimis pono,
nus Numinis offendendi timor me co
cet.* S. Ignat. vitæ l. 1. §. 24.

NIhil est sub sole malum, nisi pecc
tum; quia nihil est, quod non ve
Deus esse, præter peccatum, quod ita od
ut si amare posset, Deus non esset. Odit
lud necessariò, & odit æternùm. Mors, vi
cula, egestas adeò mala non sunt, ut opt
bilia sint, tanquam optima; sunt Dei
amantis dona, peccati remedia, gratiæ
vinæ lucra, & quod caput est rei, divini
moris fomenta.

Quem absolvit conscientia, non est
orbe, quod timeat. Nemo miser esse p
test, nisi suo facto: solum infortuniu
quod nobis accidere potest, nostrum op
est. Nulla in caput nostrum cudi tela
aliena officina possunt.

Magnorum nulla non injuria atrox e
quid igitur erit, si Regum omnium Dom

nus offendatur? nimirum tam atrox hoc facinus est, ut si cœlo, terræ, hominibus, Angelis pernicies immineret, hæc minùs timenda forent, quàm Dei offensa.

15. Martij.

Nulla est tranquillitate ipsâ pejor tempestas, nec ullum adversariorum genus periculosius, quàm adversariis carere. S. Ignat. apud Bart. l. 2. §. 18.

PErpetua tranquillitas, sub larva securitatis, gravissima minatur animæ pericula. Mater est otii, nutrix acediæ, fomentum sensualitatis. Quanta hæc in spiritu damna!

Adversitas nos admonet officii, compellit ad Deum. Dormiunt etiam Apostoli, dum placidum dormit mare; tempestas eos clamare cogit: Domine salva nos, perimus.

Pati mala non est malum. Pati à malis etiam bonum. Pati propter bonum, adhuc meliùs, pati ob mala, pariter bonum est, quia sic ea expiare bonum est.

In tempestate nascitur margarita, in ignibus excoquitur aurum, inter malleorum ictus corona cuditur, nec aliter, quàm

adversis nutritur virtus. Hostis nempe facit fortem, ut tempestas nautam commendat.

16. Martij.

Nihil suavius est, quàm amare Deum, sed ita, ut ex amore illius multa patiaris. S. Ignat. vitæ l. 1. n. 33.

OMnis felicitas hominis amor est. Tantus es, & tantùm vales, quantum est, quod amas. Provide proinde quem ames? si rem perituram? tibi ruinam præparâsti. Si Deum? felicitatis apicem attigisti.

Amare, nec pati velle, est otiari. Cupiditas est, non charitas, hujus enim lydius durus est, qui verum à spurio amore distinguit. Se, non Deum amat, qui hujus amore pati recusat.

Deum amare inter prospera, virtutis nomen non meretur, hoc etiam sensualitas potest. Sed ubi cruces cœlum depluit, ampliùs Deum, & has propter illum amare, veræ virtutis est experimentum.

Ut collisio è silice flammam elicit, & agitatione flamma crescit: sic fortunæ adversitate verè Deum amantium corda ampliùs accenduntur. Cur tu friges?

17. Mar-

17. Martij.

Tantò plus sperandum in Deo, quantò res magis videntur desperata: ubi deficiunt humana, ibi præstò sunt auxilia divina. S. Ignat. vitæ l. 4. n. 2.

UBi plena opibus turget arca, & minora frugibus sunt horrea, ibi non est spes. Ubi omnia ultra votum suppetunt, ibi non Deo fiditur, sed creaturæ.

Maledictus, qui carneo innititur brachio; quis fragili se confidat arundini, cùm columnæ possit immobili spes suas inædificare? Et nomen, & robur spes amittit, dum mediis nitimur, quæ videmus.

Gaudet Deus nos periculis jactari, & ope humanâ destitui patitur: quia spe nostrâ delectatur, sciíque gaudet suo nostra stare auxilio. Differt opem, ut spem exacuat.

Si opes amisisti, si patronis destitueris, tum maximè confide, patronus tibi sufficit unus, sine quo nihil possunt omnes.

18. Martij.

Quem labor. tenet alienæ salutis occupatum, efficaciùs eum semper modestia

humilis, quàm authoritas juverit, vim
cétque cædendo citiùs, quàm pugnando
S. Ignat. vitæ l. 4. f. 384.

QUæ in arcibus, eadem etiam in animis expugnandis plurimùm facit industria; ut subigantur illæ, & isti deprimantur, oppugnaturus se infra oppugnandi pedes abjiciat, absconditus cuniculos agat, si evertuntur, quæ vi apertæ restitissent.

Paucas in retia sua volucres auceps congeret, si fulminaret; terreret minis, non allicéret. Suavi canendum est fistulâ, quod vis non potest, hæc efficiet.

Homo capitur humanitate, nullus adeò ferus est, qui submissione non provocetur ad amorem, ubi contrà odium parit arrogantia, & fastus contemptum trahit.

Alia asceticæ, alia politicæ militiæ media sunt, hæc vim apertam opponendo, illa se submittendo viam invenit ad victoriam.

19. Martij.

Pluris tibi sit cujusvis hominis salus, quàm thesauri omnes universi mundi. S. Ignat. apud Ribaden. l. 5. c. 8.

QUod in nobis pretiosissimum est, serè minimi habemus. Anima, quæ re infini

infinitæ pretio constitit, vilis esse non potest, nisi illis, quibus nihil est se viliùs.

Salutem hominis cœlo Christus præposuit, ut eam obtineret, divinitatem suam quasi prodegit, certè vitam, & sanguinem dedit. Quam sapientissimus hic institor tanti fecit, cur nos inter ultima curamus?

Falsâ nempe staterâ res metimur. Res nihili, quales sunt opes, eruditio, totius vitæ sudoribus quærimus, pro hominis salute labor omnis gravis nimiùm, & intolerabilis accidit.

Dei judicium attende: quanti Deus omnem mundi potentiam facit? quanti nos pilum, & nucem cassam; salutem autem hominis etiamnum sitit. Præter se, hâc nihil habet amabiliùs, nihil in votis magis.

20. Martii.

Tuntùm valet res, quantùm illam Deus fecit valere. S. Ignat. apud Barto. l. 4. §. 35.

VEhementer sæpe fallitur, qui secundùm colorem de rebus judicat. Trapezita peritus distinguit adamantem à vitro. Ille remotissimus est ab errore, qui ad divinæ mentis bilancem omnia ponderat.

Si omne, quod ſplendet, aurum credas mens tua, heu, quoties decipietur? Nihil eſt bonum, niſi, quod ducit ad ſummum bonum.

Deus finis noſter eſt, ad quem tendimus, in quo æternùm quieſcemus; via quæ ad illum ducit, bonam crede, ama, elige quæ abducit, eſtò roſis ſtrata ſit, quàm longiſſimè, fuge.

Aurea clavis parùm facit ad intentum, ſi clauſa non reſeret, tali præferenda ferrea, cui ſeræ patent. Rei nempe pretium non color, nec opinio, ſed ad intentum aptitudo facit.

Proh! quantùm erramus! omnia electioni hominis ſubjecit Deus; Sed ut media ſint ad Deum. Væ! qui his contra Deum utuntur. Tantò res quævis pejor, quanto certiùs abducit à Deo.

21. Martii.

Bonos bene malos malè valere gaudeo: illi ut integris ad Dei gloriam utantur viribus; iſti, ut multiplicatis infirmitatibus ad Deam compellantur. S. Ignat. apud Ribad. 2. 5. c. 10.

NEscimus quid boni lateat in morbis. Inter hispidos cortices dulcis latet medulla, modò noverimus hanc è spinis eruere dulcedinem, mel è thymo, ex morbo sanitatem elicere. Genus Quoddam sanitatis est, hominem non esse sanum.

Dum languet corpus, vegetatur spiritus. Multos meliores fecit ægritudo, quos sanitas perdidisset. Ut tenebræ juvant ad splendorem; sic morbi ad vitam meliorem. Deferuntur à vitiis, qui ea deserere noluerunt.

Usus rei rem bonam facit. Dissipiat, modò prosit; etiam medicina ingrata est palato, sed quia profutura speratur, amatur, avidè sumitur. Quod potest desiderium valetudinis corporalis, cur non possit spiritualis?

Es infirmus? gaude: peccare non potes. Lecto affigeris? tempus tibi suppetit, ut ad cor redeas. Langues? miseriam humanam cogita, cogita præ foribus æternitatem. Quanta hinc bona!

22. Martii.

Si vel catulum tibi Deus præfecerit, tu non recusa: libenter illum Ducem vitaque ma-

magistrum. Deo authore, sequere. S. Igna
ap. Nigron. de nec. spir. cap. 5. §. 75.

SI baculum absque metu sequitur, q
scit eum à videnti regi, cur difficilè
catulum sequi, si hunc in nostri regimi
Deus, totus oculus regat? nisi minor apu
nos Dei quàm pueri apud cæcum auth
ritas sit, cui se promptè confidit.

Obedientia magna virtus est, sed tan
non foret, nisi pretiosissimam sui parten
judicium homo per illam Deo immolare
imò suum pro divino commutaret.

Et imperantis vilitate obedientiæ acce
scit pretium, tantúmque huic additu
quantùm minor eum commendat auth
ritas, cui paretur. Hìc enim & intentio pu
rior, & fides esse solidior convincitur.

Illud obtinet obediens, quod soli De
est singulare: non posse errare. Vicari
divinæ sapientiæ obedientia est, par utri
que infallibilitas.

23. Martii.

*Expedit nihil differre in crastinum, quo
hodie præstare possis.* S. Ignat. apud Bar
tol. l. 4.

QUâ Philippo arte magni nomen ac
crevit, nihil in crastinum differend
quo

quod hodie agi poterat, ea lex debet esse Christiano, cui nemo crastinum pollicetur.

Non amat tarda molimina Spiritûs Sancti gratia, in iis maximè, quæ laudari non possunt, nisi confecta. Geminat operis pretium, qui executioni addit celeritatem.

Quoties nocuit distulisse! quæ in aliam diem rejecta penitus emanserunt. Turpis vecordia, luenda multis totâ æternitate, nec satis eluenda.

Opus bonum dilatione corrumpitur: differre quippe, ut nolentis, ita nauseantis est. Virtutis exercitio quantùm accedit moræ, tantùm decedit laudis. Nullum proposita sanctum effecerunt.

24. Martii.

Longè melius est obtinere unicum granum alicujus boni cum securitate, quàm centum cum periculo salutis. S. Ignat. ap. Bart. l. 4. §. 35.

NEmo prudens se perdit, ut alium lucretur; sicut nec medicus infirmatur, ut alium curet. Omnia infra salutem propriam habenda.

Quantò thesaurus est pretiosior, tantò ma-

majori curâ ſervandus,& quã dabit hom
commutationem pro anima ſua? quam q
periculo facit obnoxiam, eam non æſtim

Inter lucra, quæ tam avidè quæris,
primum computa; dum alios ad pietat
animas, te non neglige; nec ſinas ali
tuâ inſtitutione te fieri ſanctiores. Cur
ipſum inter vilia habes?

Peſſima diligentia, quæ ſemper ad alie
Cura tui omnibus curis eſt præponend
Dete, âte ratio exigetur, Martha! Mart
ſollicita es erga plurima! porrò unum
neceſſarium; ſalutem tuam in tuto coll
care.

25. Martii.

*Incredibilis eſt ſolatii; quoties divinis ep
lis accumbimus, toties non Chriſtita
tùm, ſed & Matris ejus ſanctiſſimâ ca
ne nos paſci.* S. Ignat. ap. Lyræ.

QUæ Bernardi olim, hæc commun
omnibus eſt lætandi materia, quò
paſci à vulnere ſimul & ab ubere lacta
nobis concedatur. Caro quippe Chriſti
caro eſt Mariæ.

Quanta dignatio bonitatis in Matre
quanta bonitas majeſtatis in Filio! lact
ill

illa, hic sanguine nutrit, se uterque dat, ut nos recipiat. Qualis commutatio! vecordes nos & salutis immemores! nisi pacto stamus.

Æstima, ô homo conditionem tuam! toties Christi sanguine, & Mariæ lacte pastus, consanguineus tantorum es effectus, cave degeneri ad quisquilias affectu cognationem tam sanctam maculare!

Habent, quod invideant Angeli, quibus hæc gratia nunquam accidit! Humanæ calamitatis hic asylum est; quem terret Majestas Judicis, hunc erigit pietas Matris, quem arcet justitia, misericordia invitat.

26. Martii.

Amorem tui solum, Deus! cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis, nec quidquam ultra posco. S. Ignat. in orat. sibi familiari.

QUæstuosissimus ille amor est, qui sine lucro, cujus omnis fructus est amare. Alii amores mercatus sunt, ubi tantum recipitur, quantum datur, vilis, & abjecta hæc avaritia est; gratis amet, qui verè amat.

Etiam

Etiam belluæ amant beneficia, & vultu
res eò advolant, ubi bolum ſperant. Amo
Dei aſſurgere debet altiùs, lucrum no
quærat, omne, quod aſſequi lucrum po
ſit, amor ſit.

Infinitum damnum incurrimus, ſi alia
præter Deum, mercedem quærimus.
alia omnia obtineas, ſine illo miſer es. Co
lum ipſum ſine Dei amore infernus eſſe
& infernus cum Dei fruitione in cælu
tranſiret.

Omnis creaturæ amor inutilis, imò n
xius eſt. Solus Dei amor fœcundus eſt,
quo pleno alveo promanant omnia do
gratiæ & gloriæ. Ama Deum, quid fa
liùs & beatus es.

27. Martii.

*Nulla res creata poteſt talem lætitiam
anima creare, quæ poſſit æquare gaudiu
Spiritûs Sancti.* S. Ignat. apud Ribade
l. 5. c. 10.

GAudio, quod offert mundus, dixi
quid vanè deciperis? illud ſincerum
eſt gaudium, quod nemo tollet à nobis.

Eſſe ſine delectatione anima non ſolet
vel infimis delectatur, vel ſummis. Illæ irr

tant palatum, non satiant : istæ sunt, quæ solæ animam, cùm sit immortalis, explere possunt.

Magna ars est scire gaudere. Lætari in rebus pessimis, res est materia lachrymarum. Ut ignis & aqua non cohærent, ita nemo carnales unà, & spirituales delicias gustare speret.

Vis nunquam esse tristis : semper bene vive. Ex hoc fonte pura promanant solatia, nullæ te jure affligent miseriæ, si vel unus gratiæ divinæ gradus consoletur.

28. Martii.

Heu! quàm sordet mihi terra, dum cœlum aspicio. S. Ignat. apud Bart. l. 4. §. 28.

AD altiora nati sumus, quàm ut infimis delectemur. Naturæ beneficio licet ad altiora aspirare, quæ os homini sublime dedit, cælúmque tueri jussit, & erectos ad sidera tollere vultus, magis autem corda.

Cœlum patria est, terra exilium, illud beatitudinis, hæc calamitatis ferax. Sursum proinde vota! sursum desideria! hanc despice, & illud suspice.

Sordeat nobis terra, sordeant omnia ejus

ejus dona, quia bona apparent, non sunt imò mala sunt, quia malos efficiunt, coelum impediunt.

Terræ solatia etiam pecoribus communia sunt, cœli gaudia nos Angelis æquant illa sordida, hæc pura; brevia illa, hæc terna. Hæc proinde appetenda, illa gemoroso pede calcanda.

29. Martii.

Qui multùm metuit homines, grande aliquid pro Deo nunquam conficiet. Ignat. vitæ l. 4.

QUi homines respicit, facilè Deum despicit: illud idolum: quid dicet homines? à sincero veri Dei cultu nimiquàm multos avertit. Si hominibus placerem, Christi servus non essem.

Cùm timor ille inauspicatus aditum semel vitio aperuerit, nihil est, quod non persuadeat: ô perversa erga homines reverentia! quorum intuitu pudet non esse impudentem.

Quid times homines? miseri sunt, nec sibi, nec tibi aut prodesse possunt, aut obesse, invito Deo. Hunc time, qui postquam occiderit, potest animam perdere in gehennam.

In Dei causa nihil timendum, sed ut acus polaris, seu arrideant Zephyri, seu tumultuentur Boreæ, semper in polum intenta hæret, ita immotus age, quæ Dei sunt, neque ad dexteram declivis, neque ad sinistram.

30. Martii.

Ut rudis atque informis stipes non suspicatur fingi se posse in statuam, quæ pro artis miraculo celebretur, sed statuarius videt, quid ex illo fieri valeat; sic multi, qui vix aliquid de Christiano sapere videntur, non intelligunt, se posse Dei manu in sanctos efformari, nisi manui hujus artificis se opponant. S. Ignat. vitæ l. 4.

DEUS solus ita peritus artifex est, ut quidlibet possit ex quolibet, quia is unus quod deest, dare, quod supereſt, demere potest. Tu te ab eo fingi sine.

Nemo contemnendus. Estò stipes appareat, fortè fingetur in statuam, evadet artis prodigium, populorum admiratio, fortè aræ imponendus, coram qua tu genua aliquando curvabis.

Malè judicat, qui secundùm faciem judicat. Ut ex optimis pessimi, sic ex pessimis

mis optimi fieri possunt. Tu tibi, non ali attende.

Ut argilla figuli manum prompta subi quamvis formam recipere facilis, quæ artificis manus impresserit; ita tu Deo tractabilem offer. Sine illum agere.

31. Martii.

Qui obliviscitur sui, & suorum commo rum propter obsequium Dei, habet gilem pro se Deum, S. Ignat. apud Bar l. 4. §. 35.

FAc pro Deo, quæcunque potes, & il pro te faciet, quæ tu non potes; n enim illi difficilè est tibi succurrere, n potestas illi deest, nec voluntas. Pron prior ille est ad dandas, quàm tu accip endas gratias. Nemo meliorem sui cura habet, quàm qui sic negligit.

Malè tibi consulis, dum tempus divin obsequiis addictum ad alia derivas: quer potes rei sperare successum? Si Deo displ ces, unde tibi erit benedictio?

Quærite primùm Regnum Dei, & cæt ra adjicientur vobis. Non perit tempu quod pietati tribuitur, plus proficies orat do, quàm studendo.

Fr

Fruſtra fatigamini! Non eſtis vos, qui loquimini. Pater cœleſtis dabit vobis in illa hora, quid loquamini. Sine quo nihil, cum quo poteſtis omnia, facere. In illos liberalior, qui ſe, & ſua parùm, Deum ſuper omnia, curant.

I. Aprilis.

In ſplendidis, & bene cultis ſui contemptus, omnisque excellentiæ, & exiſtimationis conculcatio corporis maceratione & prior & potior eſſe debet. S. Ignat. in vit. apud Bart

UT rara, ita magna virtus eſt humilitas honorata: quòd ſe myricæ demittant, quòd in humili reptent vermiculi, magnum non eſt, ſed quòd cedrus exaltata caput inclinet, ac quàm altè fertur in ſublime, tam profundas in terram mittat radices, hoc vulgare non eſt.

Honorem & vitam pari paſſu tueri, ambitionis teſſera eſt; quàm remotum ab hoc Chriſti axioma! qui elegit eſſe opprobrium hominum, & abjectio plebis.

Qui magnus eſſe vult, id mediâ ſui depreſſione obtinebit. Si enim nihil honore ſublimius orbis habet, hunc contempſiſ-

se, parùm esse non potest, sic enim majo
fit eo, quod maximum orbis æstimat.

Verbis se contemnere vulgare jam et
etiam arrogantes id agunt, sed ut co
temptus ipse contemnatur, huc si vir
assurrexerit, apicem perfectionis attigit.

2. Aprilis.

*Ut in salutem animarum efficaces sint na
ra dotes, interiori virtutis impulsu
agi oportet, indéque vires ad rem bo
gerendam ducere.* S. Ign. apud Bart. l. 4

NOn semper ille metit ampliùs, q
ampliùs seminavit. Semen inu
nullum reddet fructum, nisi incrementu
det Deus. Ubi deest spiritus, ibi semen
efferum.

Cassus est organædi labor, nisi fist
las impleverit spiritus, melos non ede
Nec Apostoli docendæ plebi se priùs
cinxerunt, quàm repleti essent spiritu
alto.

Vox hominis mortua est, auditur, n
penetrat: nisi voci huic vox Dei societ
Frustra fatigantur latera; nisi Deus tec
loquatur, nihil proficies. Non jungit

cem Deus, nisi secum conjunctis, & hinc tam dispar tot Apostolorum fructus.

Si pulchris mentem sensis & egregiis veritatibus illustres, animus tamen turpi languore iners & ignavus torpeat, si indoctus eorum, quæ doces, impellere alios ad honesta contendas, fructum à raucedine alium non expecta.

3. Aprilis.

Cum omnibus quidem sed cum inferioribus præcipuè oportet esse in loquendo parcos, patientes in audiendo. Patulæ dandæ sunt aures, dum ille sensus animi sui omnes expressisse videatur. S. Ignat. Hist. Soc. l. 3. n. 48.

A Mari animi querelas potuisse in fidas aures exonerare, sæpe remedium fuit morbi, qui credebatur incurabilis. Ita sæpe levâsse stomachum bile, est sanitatem recepisse.

Æger audiri debet, si errare nolit Medicus: nemo patiente novit meliùs, quia nemo sentit acerbiùs, quid patiatur. Felix Medicus, qui audiendo, si non curare, certè levare potest morbos. Crudelis, qui tam facili remedio juvare nolit.

Egeritur querelis dolor, & minuitur dum cum audiente dividitur; maximè afflictus non benignas modo aures, sed amicum pectus inveniat, è quo natum molle verbum mitiget sensum doloris.

Novisse morbum curationis est fundamentum. Faciliùs corporis, quàm animi symptomata noſces, nisi æger prodat. Non apta corpori Medicus, nec animo Superior pharmaca porriget, nisi patiens uterque audiat patientem.

4. Aprilis.

Hæc sola ambitio justa est, Deum diligere & in ejus amoris pretium in amando crescere. S. Ignat. ap. Bart. l. 4. n. 26.

AMor est hominis felicitas, non illi cæcus animi motus, qui falsum pro vero bono apprehendit, hic deceptor ei promittit voluptatem, & gustatus de amaritudinem; sed rationalis ille, quo verum, æternum, & incommutabile bonum amatur.

Vel atomus amoris Dei dulcior est quàm omne, quod orbis mentitur esse amabile; hoc qui gustat, fastidit, illum imo satis æstimat, nisi qui possidet; & plus fruendo, plus appetit.

Amare, est de amati felicitate gaudere, non secus, ac si amans eam possideret. O quæ mea felicitas? si amo Deum, omnia divinitatis bona participo! Utinam nihil cogitem, nihil agam, quàm ut amem te, Domine!

Amare Deum, est in universi centro quiescere, extra quod nulla quies, in universi circulo moventur omnia, non aliter, nec alibi quietus eris, nisi in Dei amore conquiescas.

5. Aprilis.

Ad hominum benevolentiam divini obsequii causâ colligendam, omnibus omnia fieri, est necesse: nullâ enim re æquè ac morum, studiorúmque similitudine animi capiuntur. S. Ignat. ap. Nolarc.

Difficilius est hominum animos, quàm arces expugnare; hæ ferro & machinis, illi nec integris exercitibus subigun-tur, ad quos captivandos nullus potentior affabilitate archistrategus.

Quas aperto Marte frustra tentâsses animas, has stratagemate feliciter capies, si antequam sanctiora illis documenta instilles, benevolentiam lucreris: hac enim obtentâ

non aures modò, sed & corda ultrò pra
bebunt; quæ duces, quò voles.

Si suaviter canentem audient Orphe
um, non audient tantùm, sed & sequen
tur, surdæ aliàs & pigræ in divina caute
Hæc innocens est magia, quâ homines i
cantantur.

Nemo tam ferus, qui non capiatur hu
manitate; sermo amœnior, & oculus se
nior etiam ex dura rupe benevolentiam
velut reciprocam Echo, provocat. I
quàm facili impendio animas capis.

6. Aprilis.

*Non reputare se debet Christi amicum, q
animas non fovet, quas ille fuso sangu
redemit.* S. Ignat. ib.

SI una in animantibus anima, par etia
debet esse affectus, ut, quod unus, ide
& alter, diligat. Jam, si Deum amas, me
suram habes, quantus in te animar
amor ardere debeat.

Ex creatis omnibus anima sola est, qua
suo Deus amore dignatur: hanc affect
reliqua imperio regit. Vide, quid à
anima mereatur.

Anima est imago Dei; hunc si amas, q
ej

ejus imaginem in sterquilinio hærere sines, cùm eruere queas? tantò pulchrior hæc imago, quantò Deo accedit propior. Detergere sordes, amici munus, & testimonium est.

Quanti Christo animæ constitêre? sunt merces infiniti pretii: tanti laboris, quanta ejus passio, fructus sunt; has qui non curat ab interitu, Redemptorem non amat. Cura ore, cura calamo, cura opere.

7. Aprilis.

Imperium magis impatiens, quàm disciplinæ cupidum, arguit castigatio justò frequentior. S. Ignat. vitæ l. 3. n. 36.

QUi singula singulorum errata vindicare vult, omnes tollere debet homines, cùm nemo sine crimine vivat. Vitia námque erunt, quàm diu homines.

Sæpe malum curatur prudenti dissimulatione, quod immodicâ curâ exasperatum fuisset. Multis medetur tempus, alia sponte veniunt ad maturitatem, ulcera & pus mali fontem ipsa effundunt.

Quoties pœna frequentior auxit malum! augebítque semper, quoties pudorem pœna frequentior excusserit; quo semel

pulso audet semper pejora irritata volun tas.

Major persæpe defectus est puniendi quàm puniendi: hic fragilitatis, ille passi nis fructus est. Ex te documentũ cape, qu cum aliis fieri expediat? si pro quolibet rore tibi censor incumberet, quî ferres?

8. Aprilis.

Fallendi temporis causâ ad te venientibu de morte, de judicio, similibúsque aus ris, quæ istiusmodi hominum, quam insurduerint, mordaciter aures radu occurre: ita tibi & illis consules; vel nim redibunt meliores, vel suffuran tibi tempori deinceps abstinebunt. S. Ig vitæ l. 4. §. 20.

NIhil pretiosius tempore, & hujus fur sunt amici, malo sanè damnosissim si absque fructu, si in frivola consumatur.

Avarum hîc esse oportet, nihil tempo ris indulgendum sine fœnore; si te, si aure si linguam commodas, exige animum, r cipe compunctionem censûs loco, fr ctum collige spiritualem.

Esto peritus Alchimista: ex re qualib aurum elice. De bellis, de negotiis il

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

materiam ſuggerit, tu de pace cum Deo, de uno neceſſario repone; ſic è luto margaritam, è ſcoria aurum collegiſti.

Linguâ urſus informem maſſam debitam in formam elaborat: hæc tibi pro penicillo ſerviat, quâ vel animal in hominem, vel hominem animalem in Angelum efformes.

9. Aprilis.

Mira mundo pax mecum eſt, dum, lingua Ignarus patriæ, bellum mundo tanti ſper non moveo: ſine, poſſim in campum prodire, videbis in me totam urbem illico ſurgere, me verò undiq; pugnantem. S. Ignat. vitæ l. 2. n. 18.

INvidus dæmon eſt, non ſinit inultus ſibi animas eripi, pro his ſe opponit, bellum movet, cúmque ipſe in aciem prodire publicam nolit, mittit ſatellites, qui ejus cauſam vario prætextu belliſſimè tueantur. Scit nempe animæ pretium dæmon.

Quos è Religioſis pluribus peti calumniis, & plurium odio expoſitos vides, hos animarum zelotes eſſe ſcito, contra quos orcus ſe vindicat; parcit hic otioſis, pacem iis non difficilem concedit, à quibus & ipſe pacem habet.

Nec idcircò cessandum à bono, quòd orco displiceat, quòd mundus tumultuetur, quòd contradictores audias; imò fortiùs insistendum!

Aderit causæ suæ Deus; quæ mera insuperabilia putas obstacula, momento subsident, si tu bene cœptis insistas. Potentior est orco gratia Dei, huic fide, & eluctabere

10. Aprilis.

Nequaquam detractum crede pietatis studio, quod naturæ necessitati concedit

S. Ignat. in Hist. Soc. p. 1. l. 1. n. 30.

MAgna hominis dignitas! ad imaginem Dei creatus, cœli hæres! gratiæ divinæ particeps, virtutis capax, ne se tolleret, præter animam, corpore constat quod suos patitur manes.

Nec perit tempus, quod curæ corpori datur. Dum pascitur asinus, dum quiescit Domino servit: sic indulgeri quies debet corpori, ut fortiùs deinde labori insistat.

Misera mentis humanæ conditio, pietati absque cessatione, licèt velit, addici non potest: ut arcus intensus rumpitur, sic suum mens æquè, ac corpus, à laboribus interstitium requirit.

Nimiùm qui facit, nihil facit; nam lassitudine fractus, nihil poterit. Moderandus est fervor, ne penitus extinguatur. Nimiùm olei, si lampadi affundatur, non promovetur lumen, sed extinguitur. Moderata durant.

11. Aprilis.

Ad vineam Domini suis laboribus excolendam iturus, humilitate, suiq; contemptu viam sibi ad ardua, atque excelsa disponat, tum enim reliquum adificium tuto surget, si humilitatis fundamento sit innixum. S. Ignat. apud Bart. l. 4. §. 2.

QUi aurum quærit, uti &, qui margaritas piscatur, se demittit, hic in maris, ille in terræ viscera; nec animas aliàs certiùs quàm demissione invenies.

Nec Christus, animarum nostrarum Zelator maximus, aliâ eas viâ quæsivit, quàm sui abjectione. Quantùm ab hujus exemplo, tantùm ab animarum lucro recedit.

Posse Deo cooperari in salutem animarum, gratiarum est maxima: hanc arrogans sui æstimator sperare non potest, nec enim dat, nisi humilibus gratiam.

Nulla vox ad persuadendum aptior
demissione, plus hæc adjumenti, quà
integra bibliotheca dabit. Vide: quid
lentis, quid annis, quid experientiæ
buendum.

12. Aprilis.

Non ideo pane Angelorum abstinendu
quòd molliores non experiamur sens
foret enim hoc perinde, ac qui velle
diâ perire, quòd pane mellito careat.
Ignat. vitæ l. 4.

Sicut in cibis corporalibus non sem
illi magis conducunt valetudini,
palatum suavius afficiunt; ita nec illa co
munio censenda est animæ utilior, q
sumpta majorem habet teneritudinem

Panis solidus auget vires; sacchar
gustui prodest, non stomacho. Solida
votio fide vivâ, spe firmâ, charitate
fictâ absolvitur, teneris lachrymis, & m
li affectu carere tutò potest.

Illa devotionis teneritudo, corpo
est gustus, non spiritualis: illam qui ap
tit, se, non Deum quærit. Puerorum
liciæ dulcia sunt. Cordis & animæ,
gustûs & palati, cibus est Euharistia.

C

Qui vulnus habet, medicinam quærit; nec sollicitus, an suavis? modò utilis illa sit. Insipiens, qui medelam non admitteret, nisi dulcem.

13. Aprilis.

Ille beatè vivit, qui, quoad fieri potest, & in in Deo mentem, & Deum in mente versat assiduò. S. Ignat. vitæ l. 3. n. 1.

QUid habet homo ex omni labore suo? Ut trochus inutili motu continuò volvitur, donec concidat; ita sine fructu humanæ agitantur curæ, nisi in eo quiescant, ad quem conditi sunt.

Difficilè est curis distrahi, & mente immobiliter in Deo hærere: sed quod potest in acu polari natura, cur in te non possit gratia? quocunque volvatur illa, seu sudum arrideat cœlum, seu minetur turbidum, à polo non dimovetur. Sic mobile fit fixum.

Beata mens! quæ olympi montis æmula tempestatibus quidem obnoxia est, sed vertice super has altior perpetuam alit serenitatem. Hæc mentis in Deo fixæ felicitas est.

Ut soli Soli oculos indulget aquila, ita

unum cor hominis uni debetur Deo; h
hoc habet omnia, extra quem nihil e
omne, quod esse putatur, umbra boni, n
tam umbra, quàm deceptio.

14. Aprilis.

*Quos robusto pectore, & virtute mas
solidos comperimus, ut habemus char
res, ita exilibus etiam de nævis severi
veniunt castigandi.* S. Ignat. vitæ l.
n. 36.

ÆGro facilius aliquid indulgetur; q
ad modicum etiam vulneris act
ctum gemit: molli manu tractandus: asti
sanis supervacanea est ista sollicitudo; d
ris utiliter exercetur, ne ad quemlibet c
sum langueat.

Quos majori affectu, hos pari etiam c
râ prosequimur. Amare, est bonum vell
non amat, qui errata dissimulat, qui mo
borum vitia non succidit; doleat lic
amato, modò prosit.

In pretiosioribus minùs tolerantur l
bes. Quodvis vitium demit margari
pretium. Quem amas, ita cura, ita excol
ut nævo omni careat.

Etiam parva multùm nocent, spina r
exi
cus.

exilis est, leonem tamen, ne designatam currat ad metam, multùm moratur. Quantò magis aliquem diligis, tantò vigili magis censurâ maculam in eo singulam persequere.

15. Aprilis.

Nec sordidum, atque incompositum inte quidquam patere, sed & affectatam diligentiam, quæ mollius aliquid, & arrogantiùs sapit, procul habe. S. Iguat. apud Bart. l. 4.

UT suam mundities laudem, ita risum meretur superstitiosa vanitas, quæ crines in aciem locat, tingat, fingítque, & curas, Deo, ac æternitati debitas, his crepundiis impendit.

Etiam in cilicio exosæ debent esse tibi sordes, ne horrore arceas, quos allicere debuisses. Sui usque ad pædorem, & sordes neglectus, ejus virtus sit, qui sibi soli vivit, & spontaneo abditus sepulchro, vivus putrescere incipit.

Quidquid sordium est, detestatur animus, qui aspirat ad cœlestem illam civitatem, cujus plateæ omnes aurum mundum, & sequi parat agnum sine maculâ.

Adi

Adi licet ſqualorem carcerum, noſor
miorum pædorem accede, ſed ita in h
ſicut ſolis radii in cæno, verſare, inviſi
le lutum, nec inficitur. Si quid tibi ſor
um adhæſit, maturè expia.

16. Aprilis.

*Operarius non ad aurum tractandum, ſ
lutum veniſſe ſe cogitet, acuátque in
cuſtodiâ curam, ne in ſe admittat ſ
biem, quam ex aliis ſatagit defricare.*
Ignat. vitæ l. 4.

NOn opus eſt valentibus medico, ſ
malè habentibus, ubi corruptio m
jor, peſtis urget acerbior, eò primùm
volet tam corporum, quàm animarum
chiater; præmunitus tamen, ne & ipſe
tium trahat.

Si piſcator ſe mergat, ut unionem inv
niat; ſi ſe medicus occidat, ut æger ſanet
non piſcatio, non curatio hæc, ſed infan
ſit. Idem eſt, qui animæ ſuæ labem aſpe
geret, dum abluit alienam.

Non obviæ virtutis eſſe debet, qui pe
catorum converſioni operam ſuam vo
addicere. Magnum eſt, quod aggredit
nec ſatis tutum, niſi quaſi inpeccabilis ſ

aliàs dum minuere vult, numerum facilè augebit sceleſtorum.

Niſi paſſiones in fræno habeas, cave præcipitium, quo malorum, inter quos agis, exemplum invitat, quò natura impellit. Facilis eſt deſcenſus averni.

17. Aprilis.

Cave cujuſquam factum criminis damnare; ſpectanda mens eſt proximi, quæ ſæpe proba eſt, & innocens, licèt exterior facti ſpecies deterior videatur. S. Ignat. apud Bart. l. 4. f. 387.

NOli à ſenſibus mutuare ſententiam ſi nolis errare. Teſtimonium horum falſum eſt. Cautè pariter fide cogitatui tuo, cautiùs relationi alienæ. Sed ut in nocte, ne impingamus, auxiliari lumine cavemus; ita in alienis, quod certum non vides, non judica.

Malè de aliis judicare, eſt malitiam ſuam prodere. Araneus eſt, qui venenum haurit è flore, unde apis mel ſuxiſſet. Stomachus corruptus omnia in bilem convertit.

Dominus eſt, qui judicat. Cur te miſces ejus officio? ille ſcrutator eſt renum, & ponderator cogitationum, nos vix ultra ſpi-

ſpitamam, nec niſi rerum corticem vi
mus, & tamen Orbis Judices ſimus, In
tot errores.

Magna illa dies aperiet, quam friv
fuerint noſtra de aliis judicia. Multi ſ
ſancti occulti, qui nihil eximium prod
foris, tantò majores coram Deo, quan
ſtudioſiùs bene geſta coram hominibus
lare ſtuduerunt.

18. Aprilis.

*Non cuique utiliùs eſt, quod per ſe eſt o
mum; ſed quid præſentibus rerum conc
rentium momentis cuique maximè
ducat, obſervandum.* S. Ignat. vitæ l.

NEc cibus, licet optimus, omni ſ
macho, nec medicina, eſtò pretio
ſima, cuique ægritudini aptè convenit,
etiam in bonis vigili opus eſt indagine,
error evitetur.

Si ſemper bona voluntas comitem h
beret perſpicacem, & ad omnes circu
ſtantias vigilem intellectum, rarior in b
norum electione occurreret error, q
nunc frequentiſſimus eſt. Nulla virtus
virtus ſine prudentia.

Etiam in rebus optimis alieno utend

est consilio, nisi malo tuo capere velis experientiam. Carò emitur, quæ per proprios errores obtinetur, scientia. Satiùs est interrogare, quàm errare.

Non omnes humeri ferendis iisdem oneribus sunt apti. Obruuntur facilè, nisi exploratæ sint vires; priusquam iis onus imponatur. Aliud est de rei bonitate, aliud de illius pro te utilitate, judicium.

19. Aprilis.

Nec quantavis in pecuniæ difficultate sumptui ulli parcendum, ne quid decumbentium cura desideret. S. Ignat. apud Nolar.

NOn debet timeri defectus facultatum, quæ in ægros impenduntur, redibunt cum fœnore: dum pascitur æger, pascitur Dominus: quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Hàc qui parcè seminat, parcè & metet.

Viva Spiritûs Sancti templa ruinæ proxima fulcire, ne corruant, majoris est meriti, quàm aras instaurare. Hæ, si ruant, erigi poterunt; ægri vita semel perdita non revocabitur.

Non facilè dici potest, quantum inter corporis languores animi crescat infirmi-

tas

tas dum æger spe destitutum se videt; d
plici sic premitur malo, morbi uno, ind
mentiæ tuæ altero, qui eum, quem po
imò debes, non consolaris.

Nec est immisericordia major, qu
eum deserere, qui se juvare non potest. Q
se, suáque Deo dedit, meretur ibi non
re, ubi summa est necessitas.

20. Aprilis.

Nec tantùm è cœli, siderúmque aspectu
etiam tenuis herbulæ, reíque cujusli
tenuissimæ conspectu confestim in D
amorem novit evolare, qui Deum nov
S. Ignat. apud Maff. l. 3. c. 1.

UT ignis nativo impetu sursum ferr
ita monitore nullo, nec Duce, n
scalis coreget, quod Deum amat, ut
eluctetur; tacitis eò vinculis ita poten
trahitur, ut anima plus illic se esse, qu
ubi animat, omninò experiatur.

Perspicaces sunt amoris oculi, nec co
ticem tantùm extimum, nec colorem
tendit: rimatur acutiùs, medullam i
trat, & ère creata ducitur ad creatore
Ubi amor, ibi oculi, seu corporis, s
mentis.

Sol oculis eripi potest, sed non Deus: amanti ubique videtur. Etiam cùm dormit amans, ejus cor vigilat, & illic assistit præsens, ubi amat, nulla intervalla spatii, tenebræ nullæ aut obices iter hoc possunt impedire. Ubi thesaurus tuus, ibi & cor tuum.

Cujus oculi colore aliquo suffusi sunt, idem color semper oculis obversatur, quidquid demum aspiciat; ita qui Deum solum amat, solum novit, ille solum ubique invenit, ubique videt.

21. Aprilis.

Ama etiam perditissimos: ama residuam in iis Christi fidem, si, & hac carent, ama virtutes, quibus destituuntur: ama sanctam, quam gerunt, imaginem; ama Christi sanguinem, quo redemptos credis, S. Ignat. apud Bart. n. 20.

OMnes quidem, scelerati tamen maximè, tenerâ sunt fovendi charitate: hæc enim unica restat via, quâ meliorem ad vitam revocentur. Non resipiscunt, nisi amati.

Facilior animi, quàm corporis morborum est medicina: illi amore trahuntur, & ma-

manum medicam, si amica sit, admittun
Quàm beati forent Medici, si amando s
gros curare possent!

Mira, vera tamen res! ad aliorum od
um, & nostri amorem proniſſimi, ad ali
rum verò amorem & odium nostri dif
cillimi sumus! naturam nempe cæci
quimur, non expendimus rationes.

Inhumani prorsus in homines sumu
subitò odium subit animum, importu
manet, lentè, aut vix exit, magnâ vi ev
est opus: fortissimas radices agit. Absit
maligna pestis charitatis.

22. Aprilis.

*Mundi contemptum Christi causâ profe
patriam in mundo habet nullam, qu
agnoscat pro sua.* S. Ignat. vitæ, l. 1. n. 7.

MEns nata cœlo libera est, nulli a
gitur patriæ. Vel totus illi orbis
tria est, vel totus exilium. Particulari a
ctu, velut vinculis, non sustinet allig
Omnibus altior.

Trunci adeò tenaciter terræ, in qua
ti sunt, adhærent, ut avelli, nisi vi, non p
sint. Sed & tunc non sine terræ hia
quasi ore aperto, in querelas effundi

cùm tamen transplantati uberiorem fructum ferant.

Quæcunque Patria tua sit, lachrymarum vallis est, est mille miseriarum theatrum; ridiculum! quod ita pertinaci affectu ei adhæreamus! Nullum patria bonum, nullum facit malum.

Propheta non est acceptus in patria. Quid si extra patriam facilior sit ad cœlum via? vel enim desunt obstacula parentum, aut cognatorum favores, vel deficiente in suis spe, virtus crescit, ut Marte quis suo evadere possit. Nos patriam, quò tendimus, amemus.

23. Aprilis.

Si contingat te pati, quidquid Deus velle, aut hujus permissu dæmon inferre possit, sperandatamen in Deo victoria. S. Iguat. apud Quartem. in. Gl.

PRemi te sinit Deus, non sinet opprimi: premit, quia te diligit; tibi providet, ut longè mitiori pœnâ hìc expies, quod in altera deberes longè graviori.

Premite sinit Deus, tamen amat. Exercet in te jus, quod habet Dominus; premit, favorem tamen non exuit, manet pater,

ter, plus de te, quàm ulla mater de filio
sollicita.

Premi te sinit, & multùm & diu, q
multùm amat. Premit, ut meritorum cu
lum augeat, & præmium, quod otioso
posset, bene merenti conferat.

Premi te sinit, ut tuum amorem ac
& spem experiatur. Vide, ne suâ De
fraudes expectatione. Spera, multùm
ra. Spei quippe magnitudo est obtine
rum mensura gratiarum.

24. Aprilis.

Nolo in iis, qui præsunt, animi motus,
potissimùm extinctos, planéque mort
sed probè domitos. S. Ignat. vitæ l. 3. n. 3

ETiam venena prosunt ritè attempe
ta. Usus rem bonam vel malam fac
Irâ rectè hdhibitâ, nihil laudabiliùs, eâ
rere, non est virtus, sed languor, & segniti
Ira est Reipublicæ & omnis commu
tatis fulcrum, sine qua disciplinæ solu
laxitas morum, libertas, scelerum impu
tas, audacia, oriuntur.

Affectibus uti debemus, prout Dom
servis; subesse debent rationis imper
non præesse, officio suo fungi, vel defu

debent, non prout volunt, sed prout jubentur ; ubi dominatur ratio, servit ira, hæc dum servit, bona est.

Qui malis irasci nescit, cùm deberet, præcipuam regiminis partem negligit: qui parcit scelestis, crudelissimè sævit, uni blanditur, omnibus nocet. Rei pater, communitatis tyrannus.

25. Aprilis.

Quidquid aliunde, quàm à Deo, & ratione Institutivi dictatur, tentatio est, suspecta res esto. S. Ignat. apud Nolar.

QUantùm fabrica declinat à regula, tantùm inclinat ad interitum. Regula est cui accommodari debent omnia. Cæterùm non erigitur ædificium, sed cumulus paratur ad ruinam. Idem esto de spirituali vitæ fabrica judicium.

Regula sit norma vitæ, sit singularum actionum amussis. Ut enim errat, & nobilis etiam structuræ decorem tollit, quisquis à regula exerrat lapis : ita quævis actio regulæ difformis ordinem impedit : dedecori est, non utilitati.

Nec à vulgi opinione patrocinium quære : peccat facilè multitudo: ponderanda

potiùs, quàm numeranda veniunt judici
Indignus censetur ratione, qui mavult cr
dere, quàm judicare.

Deus benedictionem Instituti tui re
læ alligavit; hac ad unguem servatâ,
cedent omnia: rejectâ, nihil. Nec reve
tioni danda foret fides, si aliquid à reg
tua alienum suaderet.

26. Aprilis.

*Non minus miraculum est, videre mœs
Religiosum, qui aliud non quærit, qu
Deum, quàm videre lætum, qui om
alia quærit præter Deum.* S. Ignat. ap
Trinkel, in exercit.

IBi solidum potest esse gaudium,
possidetur summum bonum; in
uno est flamma sine funo, aliæ rosæ sp
horrent, & gaudia mœrore confundun
Virtutis nempe pedissequa est consti
mentis lætitia.

Ludi, musica, spectaculorum varie
infirma sunt gaudiorum artificia. Obsta
la dolori esse possunt, sed ad tempus,
spendunt potiùs, quàm tollunt animi
rorem, qui facilè recrudescet, nisi repe
in bono immutabili medelam.

Illi triſtentur, qui ſpem cœli non habent; qui ſeſe fumis paſſionum jactandos permiſerunt; nos, quibus cœlum ſtipulatò promiſſum eſt, ſinceræ lætitiæ fontem guſtamus, quam nemo tollet à nobis, quàm diu corde Deum non ſuſtulerit.

Non contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit, quia ſcit, Deum diligenti omnia in bonum cooperari. Sic tenebræ ſerviunt luci, & umbra colorem magis ſpectabilem facit.

27. Aprilis.

Hominem uſu rationis præditum non ſolùm ita frænare convenit paſſiones, ne verbo, factóve erumpant in publicum; ſed etiam ita regere: ut nihil ex impetu, omnia ex ratione operetur. S. Ignat. apud Maff.

INſipiens planè navarchus, qui navim ſuam ventis & fluctibus permittit, quoquo his libuerit, impellendam. Quem, ſic raptata, portum tenebit? Fluctus hi ſunt cupiditates tuæ.

Hoc unum hominis à pecude diſcrimen eſt, ratione agi, & agere; hoc ſi deſit, neſcio, quid hac ille melior ſit. Ratio norma ſit, ſe-

cundùm quam prudens architectus tuæ ſtructuram ducas.

Impetus dux cæcus eſt, cæca pariter voluntas : Væ ſi cæcus cæco ducatum præſtet! Impetus eſt equus ſine fræno, navis abſque remo; quorſum iſta ? niſi in præcipitia, niſi in naufragia?

Quò certior regula, eò feliciùs ſurgit ædificium. Ratio, quæ te, ac tua dirigat æterna ſit, ab hac nec latum unguem recede. Si te ducant aliæ, ſeducent.

28. Aprilis.

Cavete, ne filii hujus ſæculi majori curâ, ſollicitudine in caducarum rerum, quàm vos æternarum aſſecutionem incumbat.

S. Ignat. Epiſt. de perf.

Miſera mortalium conditio! in quæ nocent, ſemper pronior! ægris nihil avidiùs expetimus, quàm graviſſimè officiunt: nec horremus amplius aliquid, quàm quod foret utiliſſimum.

Labor omnis gratus eſt, præter illum qui virtuti aſſequendæ impendendus eſt. Fatigia mercatorum, militum pericula, dentium vigiliæ, inertiæ nos convincu-

quâ lucra terrena æternis, id est, umbram rei pro habemus.

Faciliùs sæpe foret cœlum obtinere, quàm perdere. Minori virtus, quàm vitium labore nobis constat. Jugum Christi suavius, & onus levius est, quàm nostrarum cupiditatum, & tamen ô vesaniam! Sudores, & pericula nostra deperimus.

Si decima pars conatûs, & temporis, quam avarus temporalibus lucris impendit, æternis daretur, quàm grandibus in virtute passibus procederemus! quàm facilè sancti essemus!

29. Aprilis.

Melius est parùm bene fundatum, & durabile, quàm multum incertum, & malè securum; S. Ignat. ibid.

QUæ amitti possunt, bona vix dici possunt; possessa cruciant, curas pariunt, rosam unam plantant, & spinas plurimas alunt. Cœlum nos non satiaret, si perpetuum non esset.

O spes, & res hominum inanes! qui fortunam sibi pollicebantur stabilem, & adamantino nexu obligatam, momentò intentionibus, desideriisque suis inimicam

experiuntur. Misera felicitas! quæ mem
futurorum amaram reddit omnem, qu
haberi potest, voluptatem.

Æternitas sola est, quæ finem nescit, cu
jus gaudia nemo tollet à nobis. Quæ amo
rem nostrum merentur, æterna sint, nul
lum reliqua operæ pretium faciunt.

Quidquid deliciarum mundus habe
minimâ sui parte nos afficiunt: veleni
transiverunt, & hæc non recreant: vel ven
tura sunt, sed hæc incerta. Ita plus mæroris
quàm voluptatis habet omnis voluptas.

30. Aprilis.

*Quidquid sine voluntate, aut consensu ani
mæ moderatoris fit, vanæ gloriæ depu
bitur, non mercedi.* S. Ignat. in Epist. ad
obed.

NEmo sibi satis sapit; ut oculus, etiam
perspicax alios, non seipsum, videt
ita prudentia etiam insignis aliis, non sib
sufficit. Qui alios novit regere, sui regimen
committat aliis, est necesse.

Voluntas propria fermentum est, quod
operi etiam bono admixtum totum inficit
Tantò plus valoris accedit actioni, quan
tò hæc magis recedit à propria volun
tate

tate. Quidquid hæc ſuaſerit, ſuſpectum habe.

Subtilis eſt amor proprius, excidium virtuti per cuniculos parat, te Judice tamen reus non agetur, evadet ſupplicium, ad aliud deferendus eſt tribunal.

Tu de aliis, alii de te judicent. Tunc remotior futurus à periculo, ſi de te, ſine te ſtatuant. Nemo ſibi medetur ipſi, Ægritudo animæ difficilior eſt, quàm corporis.

1. Maji.

In ferendo de legendis rebus judicio, hærendum non eſt in fuco, quem præferunt, ſed proſpiciendum, quò deſinant. S. Ignat. apud Nolar.

ERrant, qui non à fine incipiunt. Exitium citiùs, quàm exitum allatura ſunt negotia, quæ ſine matura deliberatione ex impetu ſunt inchoata. Hæc quidem ubique, in ſalutis tamen negotio, ubi æternus error eſt, maximè neceſſaria.

Qui timet pericula, non peribit in illis. Præſtat etiam tuta timere, quàm de incertis præſumere. Audacia infelix eſt conſiliatria. Melior eſt dubius eventus cum maturo conſilio, quàm felix cum temeritate.

Prævisa minùs feriunt ; estò enim præter voluntatem, non tamen præter opinionem eveniunt. Si eximere te calamitatibus non potes, potes erroribus. Mala enervat cautela prævidendi.

Oculum sceptro præfixum tutò sequitur populi: nos in manibus & pedibus oculos habere convenit, ut quid agamus, quòve tendamus, videre liceat. Non satis oculatus est, qui videt, ubi sistit, nisi aliò, quò tendendum sit, examinet.

2. Maji.

Duplici nos viâ instituit Deus, unâ per quæ quia occulta, ideo ignota, alterâ instrui per hominem sinit. S. Ignat. apud Bart. l. 1. f. 22.

UT spinis, ita difficultatibus plena est ad cœlum via, felix, qui hìc peritum nactus est ducem, sine hoc facilis descensus averni, pronum est præcipitium.

Ignota Deus voluit nobis consilia sua, ut sollicitudinem acuat. Docere ipse recusavit, ut fidei præberet exercitium, imò ut augeret meritum, homini nos, non sibi obedire voluit.

Loquitur sæpe in corde spiritus, sed non omnes

omnes capiunt verbum istud. Delicatas requirit aures, in sibilo auræ tenuis sua sensa revelat : vox tenuis à passionum tumultu facilè discutitur, ideo egemus interprete.

Cum simplicibus sermocinatio ejus. Qui ambulant in mirabilibus supra se, non sperent ejus alloquium. Revelat ea parvulis, quæ occulit arrogantibus.

3. Maji.

Præstat beatitudinis incertum vivere, & Deo interim, ac proximorum saluti servire, quàm certum ejusdem gloriæ statim mori. S. Ignat. apud Biderm. l. 2. c. 3.

HActenus Dei fruitione melius nescivit ascesis, nunc hac ipsâ sublimiùs didicit aliquid : Deo, & proximo servire. Amare quidem Deum, eóque frui, nobis dulciùs, propter illum laborare, illi gratiùs est.

Qui sic amat periculum, procul sit à periculo: periculum enim non temerè, sed Dei causâ qui subit, majus à Deo auxilium, geminatámque gratiam refert, quâ protectus, quod metuat, non habet.

Hoc est sinceriſſimè Deum amare, qui amare solus renuit, nisi à pluribus ametur.

Ut ignis sociatus ignibus urit intimiùs, & spectabiliùs lucet; sic amantium multitudo auget amorem, & meritum multiplicat.

Omne bonum communicativum est sui, maximè verò æternum; hoc sibi cum aliis commune facere, est sua in cœlo gaudia multiplicare. Quantâ solatii æterni sedes, plurimos conatu suo cœlo intulisse.

4. Maji.

In rebus humanis minùs accuratè versari jure forsan ignoverit quispiam, at immortali Deo servire negligenter, id vero nullo pacto ferendum est. S. Ignat. apud Mast. l. 2. c. 3.

BOnum, nisi bene fiat, boni nomen amittit & pretium; Majestatis immensæ non tam cultorem, quàm irrisorem ostendit, qui opera ei propria, vel ejus causâ susceptа obiter facit. Principes sæculi quàm reverenter sibi serviri exigunt?

Maximus rerum etiam optimarum hostis & corruptor est, longus usus. Quod sæpe fit, abit in consuetudinem; hæc sociam trahit negligentiam. Præstat rem sanctam intermittere, quàm non sanctè tractare.

Quantùm perdimus negligentiâ! quàm

ingens ex hac lucrum cessans; imò quàm grande damnum emergens! Qui mollis est & dissolutus, frater est opera sua dissipantis.

Seminamus multùm, & metimus parùm, quia multa, sed ofcitanter agimus. Gratiùs Deo est modicum bene, quàm multum ignavè factum. Non verba Deus curat, sed adverbia.

5. Maji.

Deus perspicax trapezita, magis ab operibus, quàm à verbis amorem æstimat. S. Ignat. in contempl. de amore Dei.

AMor sine opere, arbor foliis plena est, sed sine fructu, jactantiam habet, non emolumentum. Opera loquuntur amorem, non verba; habent illa linguam suam, habent etiam, hac tacente, facundiam.

Una lingua, duæ manus nobis à natura obtigêre: plùs nempe agere, quàm loqui nos voluit. Mortua vox sine opere. Universa sine amore nihil valent. Amor sedem non in ore, sed in corde fixit.

Sæpe amori ficto & vero idem est color, paria verba, ita ut fucatum à sincero ægrè discernas. Sic homo potest homini

illúdere, nullus Deo. Hic perſpicit intima, qui novit omnia.

Nucleus donorum animus eſt; illud ſolùm cœlo acceptum, quod ille, non quod manus dant; à minùs habente, ſed plùs amante majoris fit donum minus, quàm majus à minùs amante.

6. Maji.

Tria ſunt indubia Religioſæ domûs ritè inſtitutæ indicia: ſi clauſura, ſi munditia, lex ſilentii exactè obſervetur. S. Ignat. apud Lancic. opuſc. 5. c. 4.

QUòd promiſcuè omnibus patet accèſſus, turbas illas cieri, ſordes inferri ſanctæ quietis otia perturbari, eſt in propatulo. Urbs ſine cuſtodia hoſtium eſt ſuorum ludibrium.

Munditia, virtus Angelica, odit inquinamentum, nec id ſolùm in anima, ſed in iis quæ ſub manus & ſub oculos cadunt. Exterior hæc interioris nota eſt, & animi ad ingenuitatem educati character.

Lex ſilentii legum omnium eſt compendium, ubi ſeverior illius obſervantia, ſolidior illic virtus, major ædificatio. Ubi minùs verborum, ibi plùs prudentiæ, tam ſanctæ, quàm profanæ.

7. Maj.

7. Maji.

Contra id vitium capessenda sunt arma, quõ te præcipuè urgeri sentis, nec ante canendum receptui, quàm illud, Deo duce, debellaveris S. Ignat. apud Maff. l. 3. c. 1.

UT longus, ita inanis labor est, folia carpere, vel minutatim noxiæ arboris ramos præcidere, etiam putata revirescet, nisi ea penitus evellatur. Securis applicanda radici, unde malum omne progerminat.

Implacabile debet bellum intercedere te inter & vitium illud, quod tam diu calcaneo tuo insidiabitur, quamdiu vita superierit. Non morietur hostis ille, nisi te mortuo. Ut ille semper in armis, ita tu semper esto in vigilia.

Contra multa simul vitia decertare, est omnibus indulgere. Nec Hercules contra duos. Unum designandum est, quod in singulare certamen deligas, aliàs nullum vinces.

Ut capite succiso membra omnia concidunt; sublato duce dissipatur exercitus; ita causâ morbi sublatâ facilè tollentur symptomata. Si princeps passio debilitata sit, innumeri defectus emanebunt.

8. Maji.

Quisquis occultè improbus eos inter vit degit; qui probitate delectantur, mu illic tempore durare non potest. S. Ign apud Bartol. l. 4. §. 37.

VÆ sepulchris dealbatis, quæ cand dum foris colorem mentiuntur, int plena putredine. Hypocritam nemo di git, non homo, quia societatem humana tollit; non Deus, quia veritas est.

Minùs semper malitia palàm nocu Dum ignis in publicum erumpit, concu ritur undique, media, ut sopiatur, offeru tur, at, quamdiu latet, impunis nocet,

Qui fallere vult omnes, justo Dei judi cio fit, ut ipse fallatur maximè. Fide quam non invenit, nemo prudens reddi Astus astu luditur, & larva personato nihil simile cogitanti, detrahitur.

Deus non fallitur, rimatur intima. Fru stra sunt tenebræ, & latibula, oculus illi omniscius ubique penetrat. Cave, perso nam pone: aliàs, percutiet te Deus pa ries dealbate. Esto quod appares, aut ap pare, quod es.

9. Maji.

Quem ira vexat intemperies, malè se aliorum consuetudini subtrahit: hæc enim vitia non fugiendo sed resistendo vincuntur. S. Ignat. in Exer.

Differtur malum, non aufertur, quàm diu iræ jura non dictat ratio; sub hujus illa jugum mitti debet, secus te subjugabit. Quàm diu vel scintilla gliscit, pronùm est incendium timere.

Modico opus est pyrio pulvere, ut flamma nascatur è scintilla: Sic occasio quævis iræ tuæ vires dabit. Licèt unam occasionem fugias, aderit alia, omni, si carere velis, extra orbem eundum erit.

Nec in illa occasione, nec in illo, quem fugis, socio, sed in te malum latet; in pectore foves belluam, quocunque iveris, tecum ambulat. Non locum proinde, nec socium, sed te, & mores muta.

Quamdiu vivet hydra hæc domestica, tutus non vives à vulnere, adimendæ sunt ei vires, capistrum ori inserendum, sic securus cum quovis conversaberis.

10. Maji.

Mulierum, etiam earum, quæ spiritu sunt, vitanda familiaritas, quarum consuetudine vel fumus sequitur, flamma. S. Ignat. apud Barto. l. 4.

QUi calefieri renuit, ignem non acc dat, hic enim etiam in nolentem d fundit calorem. Cur appetis ibi agere, versari, ubi vel perire debes, vel vincere.

Ut cum hostibus, ita cum mulieri conversandum. Illi cervicem, hæ cor p tunt; apert s illi armis, hæ occultis pu nant major ab his, quàm illis metus, qu certius exitium.

Si fructus, qui sperari, & damna, qu metui possunt, æquâ lance pensentur, ha illis longè præponderant. Cedros liba dejecit hæc pestis, de quorum casu ta patùm timendum erat, quàm de casu An tonii.

Quantos leones domuit una infirmit delicata! Affectus, qui spiritualis est, fac lè degenerat in sensualem; nihil citiùs putrescit, quàm caro, & sanguis. Hìc sibi qui fidit, consistit in lubrico.

11. Ma

11. Maji.

Angelos in juvandis proximis oportet imitari, qui in procuranda hominum salute nullum prætermittunt genus industriæ, ex successu autem, quiscunque sit, nihil beatæ suæ, æternæq; pacis amittunt. S. Ignat. apud Ribaden. l. 5. c. 11.

SI nunc irritus viderur cecidisse conatus, fortè dabit fructum in tempore: De nullius etiam pessimi salute desperandum, quàm diu vivit, & spirat, viator manet. Quod unus, vel alter non potuit conatus, tertius efficiet. Curam Deus præcepit, non curationem proximi. Seminare nostrum est, Deus est, qui dat incrementũ.

Si infra desiderium cadat eventus, cadendum non est animo; præmium non deerit, quod Deus voluntati, non operi, conatui, non successui, præparavit.

Si fructus longo labore partus, & in spem egregiam largo sudore educatus repentino fortè turbine convulsus momentò pereat, te non perdas. Adora fines Dei, tibi ignotos, tuis tamen meliores.

Si centesimus operæ fructus respondeat, & hìc partem mercedis accipis, so-

la-

latium laboris; hoc ut laborem, ita & me ritūm imminuit.

12. Maji.

Malo Dei servos virtute præstare, qua numero, & re magis ipsâ, quàm nomine cultúque distingui. S. Ign. in Hist. Soc.

MAgni exercitus magnis cladib sunt obnoxii. Virtus non in cens sed in fortitudine, hæc non in numero, s animo consistit. Ut sol unus mille ste ampliùs lucet, ita fortis unus præ mi fungis robur alit.

Ipsâ copiâ res vilescunt, & facilè sati tatem, imò contemptum parit, quod ob vium, & semper est ad manum. Rarit pretium facit.

Multitudo sibimet gravis, prona est confusionem; facilè unus officit alteri, qui auxilio esse debebat, fit impedime to.

Non semper meliùs fit, quod à plur bus; quod in commune curatur, in com muni negligitur. Plures Medici pejùs cu rant. Eunt in diversa, sæpe contraria co silia; perplexum citiùs faciunt, quàm sani Tu talis esse conare, ut sis unus pro mille.

13. Ma

13. Maji.

Eamus alacriter, securi, crucem quæcunq; ferenda sit, sine Christo minimè futuram, ejúsq; præsidium adfore semper nobis hostium omnium conjuratione potentius. S. Ignat. apud Bart. l. 2.

RUdis & indoctus patiendi patitur, qui didicit pati, sine vulnere, imò sine sensu vivit; quibus commovetur ille, lætatur iste, sub quo onere alter gemit, exultat iste. Tantùm interest inter volentem & nolentem pati.

Præparandus ad dura animus. Sæpius in die quid dolere, quid sustinere possis, occurrat. Prævisa minùs, volita nihil, ferient. In manu nostra est, parùm, aut nihil pati.

Sua crux habet solatia, his uti si sciamus, nulla nos adversitas faciet infelices. Postquam Christus cum gaudio sustinuit crucem, omnem huic sustulit amaritudinem.

Filius Dei non fuit sinè cruce. Crux non erit sinè Christo, si hanc velut ex ejus manu dono submissam accipias, si ejus imitatione feras. Quisque suæ vel crucis, vel fortunæ faber.

14. Maji.

Vestis tua, ut quadret, sit honesta, sit adjus loci, in quo vivis, accommodata, sit sta tûs tui professioni congrua. S. Ignat. vit. l. 3. f. 211.

QUi ex veste quærit æstimationem, al se carere pretio, satis docet. Tu ve stem, non te vestis ornet. Parùm interes glabra, an scabra sit concha, quæ teg margaritam; huic pretium illa non de trahet.

Quàm miser, qui à manu sartoris, a argentarii arte mercatur famam? Quid l la vestis pretiosa, quam appetis? Quid se ricum, & purpura? Sunt vermium excre menta. Nobilis scilicet gloriandi mater

Vestis perpetuus est ignominiæ charac ter, Adamo in pœnam peccati data, p quem cum traduce peccato ad filios ve stis necessitas descendit, confusionis po tiùs, quàm gloriæ argumentum.

Ut tegat, ut à frigore, ac reliquis co li injuriis corpus tueatur, non ut orna ut superbiæ serviat, vestis data est, c hanc detorques ad vanitatem?

15. M

15. Maji.

Si pulsu pravorum affectuum insolenti animum ad scelus caco-dæmon proritet, remediis quoque insolitis spontaneæ afflictionis, præter consuetas, occurrendum.
S. Ignat. apud Barto. l. 3. f. 218.

UT clavus clavo, sic insoliti morbi non solitis pellendi sunt medicinis; ubi discrimen certius, potentiora illic apponenda sunt subsidia, Contraria contrariis eliduntur.

Nec in numero, nec in viribus tentationum succumbendum. Semper cœlum orco, gratia dæmone potentior est. Nec sinet te Deus tentari super id, quod potes.

Pejor est bello, timor ipse belli; nihil periculosum magis, quàm hostem formidare. Si times, jam meliore tui parte victus es. Animositate nostrâ exarmantur hostes; dum nos assurgimus, tum illi cadunt animo.

Si multi, si frequentes te hostes impetant, crede tibi suggeri materiam victoriæ. Coronare te vult Deus, quod ille non posset, nisi hostes tu sentires.

16. Maji.

Caveant, qui regunt, ne suos aspiritate[m] faciant alienos : vel suspicio severita[s] nocet. S. Ignat. ap. Bart. l. 3. f. 265.

QUi duris asperantur, illi molliori[bus] cedunt remediis. Adamas immobil[is] perstat sub ictibus, ad tepidi sanguinis co[n]tactum duritiem oblitus, in omnes, qu[as] volueris, partes secedit.

Nobilior indoles tam parum asperis tra[c]tari, quàm parum leo catenis vinciri se p[a]nit, rumpet has, qui tenui filo duci se sine[t].

Homines tractamus, non belluas, quas do hæ humanitate regi volunt, quanto magis illi abituri in feras, nisi pro natura[e] ratione gubernentur.

Non longus morum præses metus e[st] nec diu, nec feliciter illos moderatur. U[t] ignis violentè compressus ruinas agit, q[ui] molliùs habitus in fumum sinè damn[o] abiviſſet. Qui timetur, timeat sibi, ac di[s]ciplinæ.

17. Maji.

Religionem ingressurus sciat : non fore [sibi] perpetuam, & quietam illic sedem, [nisi]

pede conjunctim utroq; voluntate nimis rum, & judicio limen transiliat. S. Ign. ibid. l. 3. f. 270.

A Cephalum esse oportet Religiosum. Christus Religiosorum Alpha, in capite libri de se scribi voluit, ut faceret voluntatem Patris: Hoc nempe caput & summa vitæ arctioris est: caput posse subjicere.

Nec gravis esse potest, hæc parendi promptitudo, nisi renuenti. In cujusque manu situm est, ut jugum sibi reddat suave & onus leve. Si velit, quod superior, facilia fient omnia.

Nullum intolerabilius inobedientis jugo, quod vult, non potest; debet, quod non vult. Perpetuum martyrium, idque sine merito, bis patitur, & à se, & à præside.

Ceræ instar mollis, facilique manu tractabilis semper lætus, formas in omnes fingi se sinit, digiti nutum sequitur, nec lacertum expectat.

18. Maji.

Fovendo infirmo quidquid peculii adest, impendatur; nos qui rectè valemus, si alia non suppetant, duro pane facilè vivemus. S. Ignat. apud Bart. l. 3. f. 274.

Liberalitas ſuis ſemper digna encomi
re ipsâ major fit, ſi in ægros diffun
tur; hæc debitorem facit Deum, nec
quòd timeat paupertatis anguſtias, qu
ægros liberalis extitit.

Magna pars mali tollitur, ſi liberal
æger effectum experiatur; nec leviter m
tigatur dolor, ſi eum cum compatie
diviſum advertat.

Geminum malum eſt, ſi corporis inf
mitas animi ſecum trahat ægritudine
quam turpis creat parſimonia. Sic en
afflicto additur afflictio.

Si, quod pronum eſt, erroris aliqu
æger committat, non ægro, ſed ægritud
adſcribendum: corporis námque indiſp
ſitio, facilè tranſit ad animum, & phyſicu
nimis, quàm ſæpe agit in morale.

19. Maji.

*Tantâ in Deum niti oportet fiduciâ, ut m
re ipſum, ſi navis deeſſet, nuda ſe in
bula ſuperaturum credat.* S. Ignat. a
Maff.

TAnta eſt Dei potentia, immenſa lib
ralitas, ut humanâ ſpe, quantacunq
ſit, minùs exhauriri, quàm mare tenui
chleari poſſit.

Minùs accipimus, quia minùs speramus, accepturi multa, imò plurima, si tantundem sperare didicissemus. Non Deus, sed pusillæ spes nostræ, nos pauperes faciunt.

Tentandus quidem non est Deus, nec expectanda miracula, ubi nulla urget necessitas, sed ubi divinæ voluntatis arcana nobis patent, quod à nobis est agendum strenuè: reliqua ita firmâ spe committenda Deo, quasi media omnia præsentia videremus.

In causâ Dei necessaria nunquam deerunt subsidia; vel, si desint hæc, aderunt prodigia; prodigiis omnibus majus, & hactenus inauditum foret, spem ope divinâ destitui.

20. Maji.

Cùm superior aliquid tibi præcipit, non vetat te prudentiâ uti. S. Ignat. vitæ l. 3. l. 281.

NOn adeo stupida virtus est, ut in iis ratiocinationem excludat, quæ cùm non definiveris obedientia, exequentis industriæ, circumspectionique permisisse censeri debet.

Ut jussa promptè, ut sine causarum in-

dagine cæcè impleas, urget obedientia, sed ut in circumstantiis ab ea nec imperati nec prævisis tibi noxius, proximo gra sis, illa non jubet, sed tua indiscretio.

Imprudentia grande malum! ubiq cum bruchis impingit. Ejus emenda vel omnino sine spe, vel carò nimis, id e multis emenda erroribus.

Discretio ubique, in via virtutis tam maximè necessaria, quantò res intenta pr tiosior, tantò damna sequi possunt gravi ra. Quod corpus absque oculo, hoc op est absque prudentia.

21. Maji.

Miraculum sanè fuerit maximum, si dis Deus sua ope iis, qui sua ejus amore re quærunt. S. Ign. apud Bart. l. 4. f. 345.

QUi electione, non turpi necessitat pauper est, non egebit. Fertilis ag Dei manus est, quidquid in eam repon fructum reddet centuplum.

Plus dat voluntaria paupertas, quà fortunæ prodigalitas dare, imò quæ avaritia nostra desiderare possit: dat enim nihil appetere; quô habitô, plus possid quàm haberi possit.

Ali

Aliud est beatum, aliud divitem esse; felix est, qui nihil cupit: qui multa habet dives est, & fortunatus. Majus autem quid felicitas est, quàm fortuna. Deus felix est, non tamen fortunatus, sed felix non tam ideo, quòd habeat omnia, quam quòd nihil cupiat. Vide quam Divina res paupertas sit?

Quidquid natura deberet, aut fortuna dare posset, utrumque superat paupertas; utrâque ditior: plus quippe illis, quàm huic deest.

22. Maji.

In eum dives gradum enitatur, ut possessor sit eorum, quæ possidet, nec ab iis possideri se sinat. S. Ignat. apud Nolarci c. ult.

IRritis votis fatigantur mortales! consequi opum dominium non valent: ab ipsis possidentur rebus; hæ dominantur, voce vulgi, dominis ita subsunt, qui præesse debuissent.

Quisquis amat, servit; quantò plùs amantur opes, tantò gravior eorum servitus. Ita qui heri futuri erant, mancipia fiunt. Parum interest, ferreis, an aureis catenis vinciaris, si libertas amissa est.

Illa in opibus pejor servitus, dum cou
cervamus dona fortunæ, obnoxii simu
malis gratiæ; temporalia quærimus, id est
gradus ipsi struimus, per quos in anim
damna, utinam! non æterna, præcipit
mur.

Si opes propter Deum relinquere de
rum esse non debet, secus divitiis, ùt affin
cum vitiis nomen, ità par ab utrisque a
mendum foret exitium.

23. Maji.

*Precandi studio deditis par periculum fac
unt successus, & ariditas: illo procliv
est, ut animus intumescat; hâc facile
tædium provocatur.* S. Ignat. apud Bar
l. 4. f. 379.

NUllâ re magis, quàm oratione eg
mus; hæc vitæ melioris anima est
nec ulla tamen in re sæpius bonis mentibu
dæmon illudit. Sic optima maximis pe
culis sunt obnoxia.

Quæ sublimia, quæ præter ordinem ra
sunt, non pete; plus habent periculi, quà
emolumenti. Quidquid recedit à vulg
accedit ad fastum. Medio tutissimus.

Quanti hostes orationis? distractio

nuit, exsiccat ariditas, curæ morantur, impedit dæmon, & quod mirandum magis, ipse successus corrumpit, & gustus enervat

Tunc oratio Deo grata, tibi utilis erit, si humilis, si à communi modo non degener, alienum potiùs ductum, quàm tuum sequatur appetitum. Non semper prodest, quod sapit.

24. Maji.

Non sumus domini corporis, sed Deus; ideo ejus afflictiones unâ singulis mensurâ dividi non possunt. S. Ignat. ap. Bart. l. 4. f. 381.

UT domini non sumus corporis, ità servi esse non debemus, nec ejus parendum cupiditatibus, nec necessitatibus aliquid subtrahendum.

Nobilis jumenti curam nobis impositam credamus; foveri debet, non ultra modum, ne recalcitret; nec infra, ne oneribus impar succumbat; sentiat calcaria, ne otio torpescat, sed & fræno revocetur à præcipiti cursu ad quietem.

Facilius est flagris verberare corpus, quàm ferocem flectere voluntatem; cingi hispido cultu tam durum non est, quàm si

cingat te alius, & ducat, quò tu non vis. Multa sunt, quæ corporis macerationi præstant.

Omnis, & hæc potissimùm virtus consistit in medio, ut nec omittatur necessaria, nec cum valetudinis periculo accumuletur nimia corporis castigatio. Fortè plures in defectu, quàm ejus excessu deficiunt.

25. Maji.

Usitatum est dæmoni, foris, quàm domi potiùs gerere: contrà Deus interiùs magis, quàm exteriùs hominem elaborat, & excolit. S. Ignat. ibid. f. 383.

SIncera virtus Deo innotescere gestit, non homini; latebras potiùs quærit, quàm publicum; Dei, qui videt in abscondito, non hominum oculos requirit, testem contentus conscientiâ.

Qui vult decipi, statuat ab externis judicium. Heu quoties ludimus, & ludimur! hypocrisi ludimus alios; externâ pietatis specie contenti, quòd vivamus, ludimur ipsi.

Cortice delectamur, medullam negligimus. O præposteras hominum curas! quæ in exterioris culturam impenduntur

omnes, vix ulla extenditur ad interiora. Nemo amentiùs delinquit, quàm qui se neglecto, curat opinionem sui.

Omne hominis pretium anima, omnis hujus decor virtus est, hanc qui non excolit, turpis est, licèt Adonidem formâ superet; quæ latent, pretiosiora sunt iis, quæ patent.

26. Maji.

Impugnaturus hominem damon primùm circumspicit, quâ parte debilior, quáve neglectior sit: eò machinas admovet, illic impressionem facit. S. Ignat. apud Bart. l. 4. f. 382.

MAximum ad vitam bonam compendium est sui notitia. Sæpe hostem persequimur, qui parum nocet; interea capitalis, quia latet ignotus, in mala nostra tutò grassatur.

Andabatarum more cæcus pugnat, qui, quem ferire hostem debeat, non intelligit, ictum vibrat incertum certo sui periculo, nullo fructu.

Imbellis in nos dæmon esset, nisi fœdus cum cognatis vitiis iniret; his nos suppetiis expugnat. Huc igitur conatus, huc ar-

ma : Si vitia noſtra ſubigantur, non eſt, quod orcum metuamus.

Si nos in animæ noſtræ lucra ita vigile eſſemus, ut hoſtis eſt in detrimenta, quàm citò, quámque facilè ſancti eſſemus. Primus huc gradus eſt, paſſionum ſuarum principem & nôſſe, & perſequi.

27. Maji.

Quæ retrò ſunt, quæſo, in gratiam Chriſti obliviſcimini, & quaſi nunc primò tam longum iter ſuſciperetis, virtutis viam indefeſſo progreſſu alacriter metimini. S. Ignat. ep. ad Hiſp.

UT friget focus, quem non quotidianus ignis accendit, ſic pronum eſt ad naturam redire vitia, niſi quotidiana in domandis inſudet diligentia. Sol quotidie curſum inchoat, virtutis quoque ſemita novo in dies paſſu eſt auſpicanda.

Cur negemus animæ, quod tam ſolerti curâ præſtamus corpori? hujus imbecillitatem novo quotidie alimento confortamus; ſuum etiam illi debetur nutrimentum. Niſi oleum affundas, lumen & flamma deficient.

Quidquid ſpiritualis theſauri longior cura

tura cumulavit, facilè omnem dies unus dissipabit, nisi dies omnis foveat industriam. Quid prodesset vicisse toties, si semel succumbas.

Non bene finiet, qui non quotidie incipit, Quotidie potest malè agi, vel ideò egregia animi ferventis decreta quotidie promulganda sunt cordi, eique inclamandum: Vive hodie!

28. Maji.

Certum est pigros, quòd se ipsos non vincant, nec ad animi pacem, nec ad perfectam unquam virtutis possessionem venire, cùm tamen diligentes utrumque paucis diebus facilè consequantur. S. Ignat. ep. ad Hisp.

QUidquid bellorum, & molestiarum patimur, intra nos est. Frustra dissidiorum causas, & perturbatæ pacis fontes alibi quærimus, aut querimur; domi est scaturigo.

Quisque suæ fortunæ, quia quisque suæ pacis faber est; externa bella domesticæ paci nihil officient, nisi tu ea velis admittere, nunquam usque ad animam penetrabunt, minùs cor ferient.

Mira res! verbum, quod te vulnerat acutissimè, nullum alteri sensum movet. Idem, qui te sternit casus, alium nihil commovet; nempe quidquid recipitur, pro modum recipientis recipitur. Cur affligeris?

Tuâ, non aliorum culpâ hæc accidunt, quæcunque animi tui pacem everterunt, de manibus tuis sortes tuæ.

29. Maji.

Si in bello generosiùs miles pugnat, ut fulgentem gloriam & exuvias colligat, quàm vos, ut de vobis victoriâ strenuè parta aternam gloriam in cœlesti regno consecuti triumphetis, Christi militum nec nomen, nec animos impletis. S. Ignat. ibi.

NOn est monstrum turpius, quàm nomen habere militis, & animos fœminæ; galeatus nempe lepus risum meretur, non gloriam, coto dignior, quàm arenâ.

Quò generosior Dux est, tantò minùs tolerabile ignavum sub ejus labaro militem agere. Cui tu militas? vide: nisi generositatem induis, aut nomen, aut mores muta.

Si militia est vita hominis, cur ignavus ſtertis? cur ad difficultatem, & vel ad ſuſpicionem vulneris impalleſcis? Non eſt hoc pugnare, ſed otio & inertiâ diffluere.

Turpè eſt gaudere velle ſtipendiis, & nolle vigilias obire: turpiùs æterna ſperare, & modici temporis labori ſe ſubducere.

30. Maji.

Illos in cælo pretioſiſſima corona manet, qui opera ſua omni, quâ poſſunt, agunt diligentiâ, nec enim ſufficit opera per ſe bona facere, ſed bene facere. S. Ignat. ap. Nolarc.

ALiud eſt bona facere, aliud bonum effici: nec enim quia bona feceris, continuò factus es bonus, niſi bene eadem feceris. Bona, & non bene facere, idem eſt, ac characteres, quos formas, liturâ obliterare.

Opus commendat artificem. Vel linea plùs valet Apellis, quàm mille imagines alterius, qui tabulæ colores illinere contentus, quos, non quomodo pingat, obſervat. Tu pingis æternitati.

Ponderantur in ſchola virtutis actus, non numerantur. Forma dat eſſe rei, non ma-

teria. Non tam quid muneris, quàm quo modo agas, te commendet.

Bene facere, est rem ad legum amussim facere; suo rem quamque tempore & modo facere; à neutro vel latum unguem discedere. Sic qui agit, multùm facit, etsi non multa.

31. Maji.

Præter omnia velim unumquemque vestrum cum zelo gloriæ Dei, proximorumque salutis, Jesu Christi Salvatoris nostri puro, & sincero amore lucere. S. Ignat. Epist. de perf.

MInùs te est, quidquid amas; infrà am descendis, dignitatem, quoties aliquid præter Deum amas: omne enim illud terra est, aut sub terra natum, quibus te præposuit natura, turpiter infra illa tu te abjicit concupiscentia.

Licèt omne aurum, quod ars hactenus aut natura produxit, amore mercari possis, tanti emendum non esset; plus amor valet, quàm omnes thesauri.

Si creatis amorem tribuas, te perdis; quia das non recuperaturus, das non redituris; qui horũ semel amore illaqueatus

hæret, egenus est maximè, quis enim egentior, quàm sui?

Sine corde sunt ista, quæ amas, non redamant. Ibi tuus figatur amor, unde reciprocum sperare possis, eúmque sincerum unà, & sempiternum; quem extra Deum non invenies.

1. Junii.

Ad quem finem vocati estis, ad eum infractis animis enitimini, cùm tot ejus causâ vobis à Deo auxilia, & instrumenta suppetant. S. Ignat. apud Bart. l. 4. 328.

INnumeras habet gratias vocatio pedissequas, seriem illarum huic Deus alligavit. Ut annulum annulus in catena, sic gratiam gratia in vocatione excipit. Dum tamen augentur dona, rationes etiam augentur donorum.

Multis obæratus multùm debet. Cave, ne multitudine obruaris, & ipsa Dei liberalitas te miserum efficiat; quantò ampliùs accepisti, tantò arctius habes vinculum, es in ære alieno. Vide: quî solvas.

Sublimis est finis tibi à Deo constitutus, nec minora tamen ei assequendo præsidia; ita hæc ad illum dirigenda, ut magna

sine magno conatu obtineri non posse mi-
neris.

Nec pericula hìc, nec difficultates me-
tue ; & has, & illa gratia vocationis immi-
nuet, tibíque vires addet , ut ubi naufra-
gium pateretur alius, te vocatio serveret in-
columem.

2. Junii.

*Quanta illorum paucitas, qui sanguinis Je-
su pretio ad salutem utantur ?* S. Ignat.
ibidem.

CAdit asinus , est, qui sublevet, & si ca-
dat anima , quis ei levandæ manum
admovet? sic pretium sanguinis Christi, sic
infiniti valoris merces contemnitur!

Nummus perditus quantâ curâ quæri-
tur, & si gratia Dei pereat, quàm rarus ulla
sollicitudine tangitur , cujus tamen mini-
mus etiam gradus omnes totius orbis the-
sauros pretio longissimè antecedit.

Christi sanguis in totius orbis pretium
datus est, & tamen (O quàm vera, tam la-
chrymabilis cogitatio!) pauci sunt, quibus
prodest ad salutem. Multi vocati! pauci
electi!

Christi plùs, quàm Abel justi , sanguis
cla-

clamat de terra vindictam. Sic, qui fusus est in salutem, convertitur in ruinam, & redemptionis pretium, fit perditionis argumentum.

3. Junii.

Nec duntaxat invicem vos perpetuò diligere, & amare debetis, sed amorem illum in omnes communicare. S. Ignat. ibid. f. 331.

SI vera charitas est, vel sol sit in universo, vel punctum in circulo: Ex hoc rectæ ad universa circuli puncta ducuntur lineæ; ille lucere, & prodesse pari luce conatur omnibus.

Omnibus debitores sumus, ut omnibus omnia fiamus. Nec id quidem ad speciem solùm, hoc enim non amare est, sed adulari, non prodesse, sed decipere velle; indignum humanâ societate vitium!

Magneticum hoc amoris arcanum est, ut qui amat omnes, pariter ab omnibus redametur. Echo nempe charitas est, reddit, quem accipit affectum. Hæc sola justa est humanos favores aucupandi via.

Imitatores ejus simus, qui ut charitatem nos doceret, pro uno non magis, quàm pro omnibus mortuus. Partiales affectus sunt odiorum semina.

4. Ju-

4. Junii.

Paucissimi sunt, qui intelligant, quid illis Deus faceret, si totos se ei permitterent.
S. Ignat. ibid. §. 36.

INcertæ sunt providentiæ nostræ, & myopes oculi, pauca cernunt, pauciora discernunt; alius proinde oculus nos regere, alia de nobis providentia disponere debet, ea nempe, quam nihil latet.

Periculosæ plenum opus est aleæ, Divinæ se dispositioni subducere: Fugit Jonas, & naufragium subit. Nemo periret, nisi Dei ductum aspernaretur.

Si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadunt, ubi cæca voluntas ab excæcatis passione affectibus raptatur, quid restat, nisi præcipitium?

Ille alio felicior, qui Dei voluntatem certioribus novit indiciis, hanc dum sequitur, viâ regiâ graditur ad felicitatem; errare nescius, dum ab eo regitur, qui est via, veritas, & vita.

5. Junii.

Qui inviti, ac dissentientes, actu tamen justa præsidum exequuntur, inter vilissima

mancipia sunt numerandi. S. Ignat. apud Maff. l. 3 c. 7.

HOnesta, & generosa indoles calcaribus non eget; facillimo ductu ad virtutem omnem impellitur ; dura contrà, & illiberalis, etiam mille verbis, aut verberibus vix compelli se sinit.

Tarditas, & mora multùm gratiæ demit uti beneficiis, ita & obedientiæ. Si enim hilarem datorem diligit Deus, morosum utique aspernabitur. Age, quod agendum est, sed age promptè.

Quæ coacta sunt, nec acceptа, nec durabilia esse possunt. Dura non expectat, humano nutu contentus, qui infra homines abjectus non est.

Quantum onus imponit superiori morosus obediens! faciliùs ipse opus peraget, quàm imponat ; si videt lapidem se citiùs, quàm subditum ad jussa moturum.

6. Junii.

Sicut viribus corporis, & animi abusi sumus, ut contra Dei legem faceremus, ita recuperatâ per pœnitentiam gratiâ, iisdem viribus ad vitæ emendationem utamur. S. Ignat. apud Orland. p. 1. l. 5. n. 7.

Par

PAr pari reddere, lex est justitiæ; qui minùs, quàm debeat, dedit, legem non implevit. Heu me! in quanto debitores sumus, & quàm segnes in exolvendo.

Unius peccati malitiæ vita, imò æternitas non sufficit expianda, & ubi injuriæ compensatio? ubi pro remissa culpa gratitudo? ubi pro pœna satisfactio? Non intres in judicium cum servo tuo Deus.

Dignissimum est, ut quæ fuerunt media ad iniquitatem, fiant ad sanitatem instrumenta, & membra, quæ vitiis serviverunt, virtutis exercitio addicantur.

Corpus magis reum sit, an anima, frustra disceptas, par utrumque culpa complectitur, eadem manet pœna, nisi par utramque expiet pœnitentia.

7. Junii.

Ut omnes lucrifaciat sapiens hominum piscator, omnibus attemperare se debet, licèt minor conatui fructus respondeat. S. Ignat. in vita l. 5. c. 11.

IN magnis etiam voluisse, laudem meretur, licèt infra intentionem sit successus. Ex conatu, non ex eventu meritum nobis ex-

expectandum. Ille quippe solus in nostra, hic in unius Dei, est potestate.

Illa Dei erga nos liberalitas est, ut inopiæ nostræ conscius nihil à nobis exigat, præter bonam voluntatem, reliqua in se assumit. Unde, qui fecit, quod potuit, legem implevit.

Etiam in rebus opinione nostrâ optimis, si spes, & labores nostri cadant irriti, credere debemus, esse melius aliquid, quod licèt nobis incognitum sit, satis est esse illi in aperto, cui nihil absconditum.

Si tua intentio affectu careat, subtrahitur tibi non occasio meriti, sed vanitatis, hujus loco materia tibi offertur patientiæ, aperitur campus adorandi judicia Dei. Vide, quanta bona in bono non obtento! Fac quod potes. Deus supplebit ea, quæ non potes.

8. Junii.

Ubi secundo cursu fluunt omnia, suspicio sit, an non illic parùm felix sit Divini obsequii cursus? S. Ignat. ibid.

Nimia maris tranquillitas navigantibus solet esse suspecta; diuturna quippe malacia graviorum prodroma est tem-

tempestatum. Non bene res agitur, ubi bene semper agi videtur.

Prosperitas nimia seducit ad vecordiam, tollit metum periculi, facit incautos hostium exponit insidiis, sui creat fiduciam, & quid hâc felicitate infelicius? latet anguis in herba.

Navicula Petri luctatur cum fluctibus. Inter adversitates crescit Ecclesia, Sanguis Martyrum semen esse debuit Christianorum: ita bona non fiunt, nisi renitentibus malis.

Ut sine vulnere non gemmant vites, sine vomere non speratur messis, nec ignis in flammam assurgit, nisi flabris, & ventis concussa, sic languet sine adversario virtus, nec est meritum, ubi deest difficultas.

9. Junii.

Mos spontaneæ mortificationis palàm extra ordinem susceptæ utiliter prohibetur: tum ut meminerint præstare victimis obedientiam, tum ne se inaniter efferant. S. Ignat. in Hist. Soc. p. 1. l. 11. n. 6.

SI triumphus concedatur in minoribus, deest stimulus ad majora; interea, quæ vincenda veniunt, principatum tenet vo-

voluntas. Capite mali sublato, reliqua faciliùs vincentur.

Mortificationes, quæ plus habent strepitûs, minùs ponderis, speciem habent æstimationis, sed sub iis intacta manent vitia, gaudéntque se præteritis in leviora conatus absumi. Radix malorum est castiganda.

Quæ præter ordinem assumuntur, suspecta sunto; maximè si leviori manu peragantur, quæ communia debent esse singulis; tum enim certum habe, sub extraordinariorum pallio vel hypocrisim, vel vitium aliud latitare.

Nulla tutior ad virtutem via, quàm ordinaria. Hanc trivêre tot Antecessores, monstrat Regula, dictavit Spiritus sanctus; ab hac, qui recedit, accedit ad errores.

10. Junii.

Iisdem contra damonem utendum est armis ad salutem, quibus ille abutitur ad nostram perniciem. S. Ignat. in Hist. Soc. l. 3. n. 48.

TAlio reddendus est orco, ut confusum redire pudeat ad certamen; dolos, quos in nostri ruinam fabricat, ipse sentiat. Si arrogantiâ tentet, submissione occurrendum. Si

Si mille illi sint nocendi artes, totidem nobis resistendi nova sunt præsidia, nihil est, quod metuamus, iis ipsis, quæ com nos acuit, telis vinci potest, modò iis sciamus.

Inclinationes nostras habet ille in consilia, & nostra damna fœderatas, h agit adjutricibus, quidquid in nos profic Si verò eas nos sub jugum rationis miss virtuti servire cogamus, heu! quantu ingemit dæmon, & exarmatur.

Adeò nempe imbellis est dæmon, u nisi nos arma illi ministremus, nihil ad versum nos moliri possit. Vitia nostra vient nobis ad triumphos, si ea victor nostræ materiam statuamus.

11. Junii.

Quos naturæ bonitas ad amplam fortunam in sæculo erat provectura, hi quoq; in Dei gloria strenuè proferenda successus habent uberiores. S. Ignat. apud Bart. l. 1, c. 1.

DEtestanda parentum avaritia, qui filios Religioni, divinóque cultui destinant, quos vel deformes, vel stupidos fo is natura donis destituit. Hoc nempe e cum Caino deteriora Deo offerre in holo caustum.

Opti

Optima debentur Optimo. Non gratiam, sed indignationem relaturus, quisquis mancum, aut cæcum immolaverit holocaustum. Maximus divinæ Majestatis contemptus est, vilibus coli.

Liberalis Deus est, sed in liberales. Nihil familiæ splendori recedet, licèt natorum optimus Numini consecretur. Sic perdere lucrum est, nec enim deerunt Deo media, nec bonitas, ut acceptum cum fænore reddat.

Sacrilegi proventuum Ecclesiasticorum depeculatores sunt, qui ministrari, non ministrare, saginari de altari optant, non sanctificari; lanam, non oves, se, non Deum quærunt. Et quod his præmium? imò quæ tales pœna excipiet?

12. Junii.

Tempestas absque nostra culpa in nos sæviens est quædam futuri, & secuturi brevi proventûs significatio. S. Ignat. in Hist. Soc. p. 1. l. 11. n. 60.

DUm gravissima sævit tempestas, ibi proxima imminet serenitas, ubi supremas in nos vires exeruerit invidia, ibi fessa conquiescet. In spe sit fortitudo tua.

Omne

Omne momentum noſtræ felicitatis pa-
tientia eſt, magnum domeſticæ pacis Sa-
cramentum, aſylum ſecuritatis, præco-
caduceus felicitatis. Feramus patienter
quæ mutare non poſſumus.

Quemadmodum nihil frequentius
quàm pati, nihil pariter magis neceſſarium
patientiâ. Hæc commune malorum omni-
um medicamentum, qnâ velut dictamno
cervi, expellimus aciem, ferrúmque ma-
lorum.

Nec minimam artem puta patientiæ
Compendio quodam ſe à dolore & ſuppli-
ciis tam vitæ, quàm hoſtium liberat, qui
pati novit. Invulnerabilis animus ſolâ in
patientiâ. Meliora ſpera.

13. Junii.

*Perſecutio flabellum eſt, quo virtus noſtra
excitetur, ſi illa, quod abſit, deficiat, mar-
ceſcet inde, nec rite munere ſuo perfunge-
tur.* S. Ignat. apud Corn. à Lap. in pro-
phet. ma. c. 13.

PErſecutio, quantò inſiſtit gravior, tan-
tò nos in virtute ſolidiores facit, non
ſecus, ac validiores venti urgent arborem,
ut profundiores in terram radices mittat,

Illa nempe sollicitos nos facit, ne in nobis inveniatur aliquid, quod jure persecutionem mereatur.

Continuus hominum favor,& communis applausus facilè animum inflat, & immemorem facit officii. Bonum mihi Domine! quia humiliâsti me.

Dum nos odit mundus, maximè benefacit,dat enim occasionem meriti, virtutis exercitium : causam offert, ne ametur,ut despiciatur.

Si nulla nobis in hominibus spes, cogimur omnem in Deum transferre;illis dum nos displicere advertimus, monemur, ut Dei favores conemur prometeri.

14. Junii.

Domine,ecquid ego volo? aut quid velle possum extra te? S. Ignat. apud Ribaden.l. 5. c. 1.

COr hominis parvum est, magna tamen desiderare potest. Votis ejus mundus totus non sufficit;capacem quippe Dei animum,quidquid Deo minus est, non explebit.

Fluxa omnia, & instabilia sunt, nisi cor immobili affixeris, continuò fluctuabis.

Anchoram fige in Deo. Fige per fidem, fige per ſpem, fige per charitatem. Funiculus iſte triplex nunquam rumpetur.

Illa ſola beata eſt voluntas, quæ habet quidquid vult; quod in manu cordis noſtri eſt, nemo poteſt eripere, alia omnia fortunæ ſubjecta ſunt. Deum ſi amas, nemo tibi theſaurum eripere poteſt.

Si quærenti regnum Dei, reliqua omnia adjicientur, quid deeſſe poterit Deum quærenti? cum hoc, nihil habendo, ſatiaris poteris, ſinè hoc, omnia habendo, adhuc egebis.

15. Junii.

Qui voluntate ſolùm obediunt, repugnant ratione, uno tantùm pede in Religione verſantur. S. Ignat. apud Maff.

PEriculoſa ſtatio, uni tantùm ibi pede inſiſtere, unde facilis ad ruinam impulſus. In edito ſtas, toto mundo ſuperior, unus flatus ſufficit, ut deſertâ ſtatione infelix ſtylita concidas.

Ubi domeſtica vigent diſſidia, diu non ſtabit reſpublica; ità dum voluntas diſcedit à judicio, nec conſtantia expectari poteſt operis, nec ſucceſſus. Ratio, & volun-

sorores sunt, mutui auxilii ità indigæ, ut neutra sinè altera ad virtutem eluctari possit.

Dum ratio,& voluntas mutuum bellum fovent, una subruit alteram à profectu, dum conatur una,revocat altera; ità fit,ut nec una, nec altera obedientiæ præmium obtineat.

Quod Deo in nobis placere potest, judicii est promptitudo, sinè qua mortua est obedientia, & licèt moveri ad imperata videatur,cadaver est, animâ caret,à qua vitam,& vigorem capere debuisset.

16. Junii.

Cum intimo, maximóque dolore videte, in quanta ubiq; gentium ignoratione Deus versetur. S. Ignat. apud Bart. l. 4.

HEu quanta in Dei agnitione caligo! noctuæ vivimus, æternæ lucis ignaræ! tenebras nobis non tam mysterii sublimitas,quàm negligentiæ nostræ veternum affundit.

Quot non anni rerum creatarum cognitioni tribuuntur, atteruntur vires, ætas impenditur, ut sciamus nocitura,& in discenda Sanctorum scientia, in conse-

quenda Dei cognitione nec tempus est, nec labor.

O vana hominum studia! ut opes, ut alqui quis honoris gradus, ut hominum notitia obtineatur, quæ curæ? quanti conatus? quis est, qui recogitet corde, quid Deo debeat?

Sedent in tenebris, & in umbra mortis tot hominum millia, in tenebras æternas ruitura, nisi tu iis facem accendas, quâ duce ad cognitionem Dei, ad veræ fidei lumen adducantur. Quid moraris?

17. Junii.

Omni contentione laborandum, ut id, quod sequimur, assequamur, & perfectionis viam ingressi, perveniamus ad id, quod perfectissimum est. S. Ignat. apud Lancic.

MUlti, cùm bene cœperint, malè consummârunt, dedecore dignioris quàm elogio: quòd vel majora viribus cœperint, malè providi, vel bene cœpta taedio defectione deseruerint.

In littore canitur celeusma. Quid juvat forti lacerto fulcare maria, fluctus scindere, charybdes arte omni vitare, si nunquam detur designato littore frui.

Inconstantis animi est, multa inchoare. Uni te præstat impendere, donec plenè consequaris intentum. Assequitur nulla, qui sequitur plura. Porrò unum est necessarium. Quid juvat Christum sequi, si non consequaris.

18. Junii.

Nulla est bestia super terram damone efferacior, acrior, & pertinacior in hominem, ut cum pernicie nostra, malignæ, obstinataque mentis suæ desiderium adimpleat. S. Ignat. de spir. dignit.

SI cecidit de cœlo Angelus, ex Apostolatu Judas, quis est, qui stare sinè justo timore ausit? Nec Salamone doctior, nec Davide sanctior es, nec Petro meliùs instructus, & necdum times?

Nullus adeò sanctus, aut in virtute probatus est, qui timoris expers vivere possit. Respice columnas cœli, contremiscunt illæ; suspice stellas, de cœlo ceciderunt.

Vide naturæ tuæ in peccato conceptæ fragilitatem, hostis tui partes in omnes vigilis industriam attende. Numera, si potes, lapsuum occasiones tristes, te meliorem minùs cogita; sic in timore, & tremore salutem tuam operare.

Initium sapientiæ timor Domini, sinè quo malè tutos in via virtutis gressus figimus, vel enim in superbiam incidimus, vel in socordiam.

19. Junii.

Cum nullo mortalium licèt pessimo, de rebus Dei sermo miscetur, quin plurimùm inde lucri referatur. S. Ignat. apud Nad. 30 Julii.

MAgna vis est gratiæ! momentum sufficit, & è Saulo Apostolum, è pessimo efficit sanctissimum. Sic nempe lux illata orbi, momentô tenebras omnes expellit.

Unica vox gladio ancipiti penetrabilior ità pervadit animum, ut totum immutet. Brevis sermo longâ oratione multò fit efficacior, quando illius affulget radius, in cujus manu corda sunt omnium.

Si fructus non statim appareat, non desspera; in fructum matureſcet; semen nunc jeciſſe sufficiat, seges erit, & optima messis, licèt nunc altâ nive sepulta rigere omnia videantur. Non omnia simul matureſcunt.

Utinam plures ad nos venirent, ut fiant sanctiores, non ut redeant spebus suis di-

tio-

tiores. Nostrum est sequiora illorum consilia corrigere, ut meliora referant, quàm quæsiverint.

20. Junii.

Nunquam tantis aures ditandæ sunt promissis, quin facta valeant ipsis ex æquo respondere. S. Ignat. apud Bart. l. 4. f. 281.

NOn promittendum, quod nolis; minùs, quod non possit explere. Fide semel remissâ, nihil supereſt, quod perdas. vilescit authoritas, imò humana societas cessat.

Unam tantùm linguam natura, & manus dedit binas, ut doceret liberaliores nos esse debere opere, quàm linguâ.

Fides tua fidibus conveniat, hæ ut gratæ sint, manus facit. Dare quidem pollicita difficiliùs est, quàm danda polliceri; præstat tamen, spem non facere, quam implere nequeas, ne vel fraudium, vel inconstantiæ te reum agas.

Si quid negari debeat, ità blandè fiat, ne bis animus vulneretur, negatione, & ejus modo. Sæpe negatio beneficii locô accipietur, si animum quidem promptum, rem verò petitam ostendat noxiam fore.

21. Junii.

Nimium alienorum defectuum odium plus alienationis animi gignit, quàm emendationis: juvátque ad fugandos potiùs alios, quàm juvandos. S. Ignat. in Comp. vitæ.

SÆpe defectus graviore defectu contigimus, dum propriæ passioni nimiùm indulgemus; unde fit, ut non tam illos emendatos, quàm indignationi nostræ satisfactum, cupiamus.

Quis medicum vocet, qui ægro indignetur, & hunc potiùs, quàm ægritudinem persequatur. Gravior ægritudo majori digna est compassione, affectu magis tractanda, quàm odio.

Inconsideratus nos zelus eò persæpe adducit, ut dum domesticæ consultum volumus disciplinæ, charitatis obliviscamur, id est, curamus corticem, & medullam prodigimus.

Fratri, quantumvis reo, nemo indignatur, nisi, qui domi suæ talpa proprios errores non videt. In multis offendimus omnes, & quî tua errata tractari velles! satiùs est bonitate peccare, quàm severitate.

22. Junii.

In afflictionum genere præferendæ sunt illæ, quæ sensum inferunt acriorem, sed damnum levius; his enim corpus & molestiùs, & durabiliùs affligitur. S. Ignat. in vita apud Mast.

MOrtificationi mensuram prudentia statuat, ne quid nimis, néve quid justô minus fiat: hujus amor proprius, illius periculum impetus fervoris facit.

Afflictationum corporalium finis sensus est corporis, non detrimentum: plus facit, qui diutiùs: excessus cum constantia conjungi nequit, qui se multùm vult mortificare, moderatè castiget, ista durant.

Satiùs est, sæpius, & per intervalla, quam graviùs, & sinè requie corpus macerare; si continua sit, sensum obtundit, ab assuetis enim non fit passio: si gravior, tum succumbit asinus sub onere.

Etiam culicum morsus martyrii palmam mereri possunt, non semper opus est sanguinis profluviô, aut membrorum lanienâ.

23. Junii.

Nihil agendum, aut scribendum, unde rancor, aut amaror aliquis nasci possit. S. Ignat. ibid.

NEmini danda est justa offensæ causa, Nemo tam pusillus, aut vilis, qui obesse non possit. Et muscis sua bilis, & culici aculeus est, qui sensum faciat, & tumorem creet.

Quæ scribuntur, severiorem vocandi sunt sub censuram, per manus, & oculos eunt, ætatem ferunt, plures, & gravius feriunt. Littera scripta manet irrevocabilis. Sit sinè felle, sinè aculeo quidquid scribis.

Etiam ubi correctione opus est, ea esse debet sinè amarore, sed sicut medicinas auro, vel saccharite condit medicus, sic ea temperanda est, ut non correptio, sed medela, non pœna, sed beneficium esse agnoscatur.

Neminem ad bonam frugem revocabimus, nisi animum priùs, quàm vitia expugnemus; lucrabimur autem neminem, nisi crediderit se amari.

24. Junii.

Magnum dæmoni gaudium est, animum consultò procedens, sinè fræno illius, à quo regi deberet; quantò enim talis altiùs enititur, tantò graviùs ruet. S. Ignat. apud Nolar.

NEmo certiùs labitur, quàm qui se credit esse securissimum: ignorantia periculi summum est periculum: incauta securitas via est ad præcipitium, quò quàm facilè est ruere, tam difficilè inde redire.

Alieno ductu qui graditur, securiùs procedit. Plures oculi plura vident, & prævident. Væ soli! quia cùm ceciderit, non habet sublevantem se.

Nemo suo, etiam in optimis, nitatur arbitrio; cùm sæpe ex optimis, si degenerant, fiant pessima. Qui suæ virtuti fidit, nullam habet.

Alta semper periculis obnoxia. Vertiginem time, qui de se submissè sentit, hanc facilè cavet. Præfidentia temeritatis mater est pedissequam trahens ruinam.

25. Junii.

Oportet parum loqui, & multùm audire. S. Ignat. apud Bart. l. 4.

PEr verba effunditur animus, vox genium prodit, hâc ministrâ cordis patent intima, quæ tamen ità recondita volebat esse natura, ut nec Momo fenestellam, eò indulserit.

Multiloquio prodigitur authoritas, qui

tacens philosophus mansisset, loquenso-
mnem sui opinionem diluit: majora quip-
pe animo volui quisque credidisset, si pru-
denti silentio, velut si pario, involuta ma-
sisset, quæ inconsulta lingua profudit.

Ubi verborum est flumen, ibi vix gutta
mentis. Prudens multa loqui non potest,
quia prævidet, quàm grandes vox levicula
ciere possit tempestates.

Nec aliquid est honorificum magis,
quàm verborum parsimonia. Etiam fatuus,
quàm diu tacet, sapientem simulat. Natu-
ram æmulemur, duas homini aures, eásque
semper apertas; linguam unicam, eámque
tot absconditam repagulis dedit.

26. Junii.

Qui Deum secum fert in corde, circumfert
secum paradysum. S. Ignat. in compend.
vitæ.

SOlus Dei amor sinceræ fons est læti-
tiæ, sinè ullius admixtione fuci limpi-
dissimus, absque ullius cessationis periculo
perpetuus. Quid fodimus nobis cisternas
dissipatas!

Si dilectionis pactum cum Deo inea-
non est, quòd de felicitatis constantia dubi-
tes

tes? cujus nec amor perire, nec ipse potest. Nequit leviter voluntatem mutare, nec mutari. Nulla subit illum amantes amandi pœnitentia.

Alius amor semper inconstans est; potest enim amatus vel invitus cessare ab amore tui; potest ipse perire, licèt amor in vivente periturus non fuisset. Felicitas non est, quæ perpetua non est.

Pacta dissolvi alia possunt, quoniam eâdem voluntate, quâ fiunt, rescindi possunt; in amoris autem contractu, cùm eadem voluntas materia sit contractûs, voluntas alienatur, jam non sui Domina, jus pœnitudinis amittit.

27. Junii.

Compendiosissima, & ferè sola ad sanctitatem via est, abhorrere ab omnibus, quæ mundus amat, & amplectitur. S. Ignat. in Exam. c. 4.

QUæ vetus Romani Sapientis querela fuit, eadem hodie est virtutis: malorum causas esse, quòd exemplis, non ratione cõponamur. Vivimus, ùt passim vivitur.

Non quâ itur, sed quà eundum sit, attendit, qui tendit ad perfectionem; ille pe-

peritum se nauclerum probat, qui etiam contra torrentem niti novit.

Noli sapere cum vulgo, nec continuò imitandum credas, quod popularis æstimatio suadet, quasi verò vitium non sit, quidquid multorum exempla excusant. Æstimanda sunt judicia, non numeranda.

Documento aliena vitia sint ad cautelam, non incitamento ad sequelam. Qui malis dissimilis esse veretur, evadit malus. Pauci sunt, imò unus Dei Filius, cujus exempla pro regula morum assumantur.

28. Junii.

Mensura profectûs ex vultu, gestibus, naturæ facilitate, aut amore solitudinis male sumitur, cùm à vi, quam sibi quisque infert, sit desumenda. S. Ignat. ap. Maff.

IGnava sanctitas est, quæ laudem captat ex iis, quæ plùs stupor quidam naturæ, quàm virtus operatur. Nisi tu etiam lignum sanctum esse dicas, quod nec irâ unquam, nec libidine commovetur.

An, & quam actio quævis laudem mereatur, illud sit argumento, quantùm sibi quisq; operans vim, quámq; è sincero motivo inferat. Arduitas hìc pretium facit.

Quos-

Quosdam non malos esse pura felicitas, imò casus est, quòd in mala vel exempla, vel occasiones nō venerint; has experti evasissent pessimi. Qui non tentatur, quid scit? Nulla speretur sinè certamine corona. Solitudinis, & silentii nativus amor, hominum fuga usque adeò ad virtutem non assurgit, ut inter morositatis vitia potiùs censenda veniat.

29. Junii.

Quantò utilior est ferventis conversatio cum extermis, si bona sit, tantò damnosior est, si dissoluta sit. S. Ign. ap. Nolar. c. ult.

SOlis maculæ, aut lunæ deliquia palàm sunt omnibus; sic latè diffunditur scandalum, quod venit ab eo, quem vocationis altitudo terris altiorem evexit in sublime.

Væ homini illi, per quem venit scandalum! plurium conatus vix restituit, quod pravum unius exemplum corrupit. In oculis, lingua, & manibus quisque totius Ordinis honorem circumfert, vel dissipat.

Ab uno vulgus ducit ad omnes argumentum, malâ quidem dialecticâ, interim tamen perfrequenti: judicia hominum quantò in malum proniora, tantò majorem

rem ſuadent cautelam iis, quos populus omnis obſervat.

Sal, quo condiendus erat populus, ſi corrumpatur, ad quid valet? nisi, ut mittatur foras. Præſtat, ut unus homo, quàm tota gens pereat.

30. Junii.

Magna in proficiendo utilitas eſt: amicum habuiſſe, cui defectuum tuorum te monere ſit indultum. S. Ign. in comp. vitæ.

UT vultum, ſic ſuum quiſque cultum, & mores non cernit, vel non ſatis ſincerè diſcernit; alio hìc opus eſt oculo, quàm te, qui tua in cenſuram vocet.

Velle ſemper laudari, aut credere, nihil in ſe notâ, vel cenſurâ dignum reperiri, grandis eſt arrogantia. Qui dicit, ſe ſine peccato eſſe, mendax eſt. Quantò pauciores advertis, tantò plures alis defectus.

Si de macula in vultu, de plica minùs ordinata in veſte monitus, inter gratias repones, cur ægrè feras in iis admoneri, quæ plùs officiunt, latiùs nocent?

Plùs amat, qui, quod ſequius eſt, monet, quàm qui laudat. Hic adulator, ille amator eſt. Bonum te vult, vult laudem te, & amorem omnium promereri. Inter benefactores computa, qui tui ſic curam gerunt.

SCINTILLÆ IGNATIANÆ, *SIVE* SANCTI IGNATII DE LOYOLA, SOCIETATIS JESU FUNDATORIS APOPHTEGMATA SACRA,

Per singulos Anni Dies distributa,

Et ulteriori Considerationi proposita

Per

R. P. GABRIELEM HEVENESI
Societatis Jesu.

SEMESTRE SECUNDUM.

COLONIÆ,
Apud HENR. ROMMERSKIRCHEN,
Anno 1716.

1. Julii.

Boni Religiosi munus est: ad Dei, non Principiis obsequium homines promovere, ut ostendat, se optimè fecisse, talem eligendo Dominum. S. Ign. ap. Maff. l. 3. c. 1.

QUàm multi, dum tolluntur in altum, promoventur ad ruinam, forsan æternam; lapsuri nunquam, nisì tam altè ascendissent. Vertigine aguntur, dum stant in sublimi, qui securi stetissent in humili. Vide, ne, cui paras gratiam, afferas exitium.

Et quid, si è manibus tuis ejus anima reperatur, quem favor Principis, sublimior locus, blandior fortuna egit in transversum. Cooperari malo malum, quia causa causæ, causa est causati.

Unum promoves! quot offendis? computum ini damna inter, & lucellum. Fortè nec promotus agnoscet beneficium, educto ædificio, pegmata, quibus crevit, non curantur. Imò sæpe calcatur scala, quæ promovit.

Servire Deo, regnare est. Hoc honore nullus potior, utilior nullus. Servitus hæc æternam spondet libertatem, ad hujus

famulatum promovere, præstet, quàm regnum.

2. Julii.

Bonus animarum venator multa debet dissimulare, quasi nesciat; factus pòst dominus voluntatis, flectere virtutis tyronem poterit, quò libuerit. S. Ignat. ap. Bart. l. 4.

BLandiùs agendum cum teneris, Durior re aurâ pereunt plantulæ, quas blandior ad maturitatem educâsset. Patientia habenda principiô.

Licèt tardiùs marmori, quàm ceræ virtutis imago inducatur, moram compensabit constantia. Cera, quæ facilè virtutis imaginem sumit, pari facilitate ponit; marmor, quod multis ictibus monitam eam recepit, nec per sæculum amittet.

Si non suus culturæ tuæ fructus respondeat, non continuò extirpanda est arbuscula; quod hodiernus negavit, crastinus dabit dies. Exspecta, irriga, crescet, longanimitatem, ac diligentiam fructuum solatio liberaliter solvet.

3. Julii.

Heu quantùm decipiuntur! qui se spiritu

plenos rati, animarum gubernationem ambiunt. S. Ignat. ibid.

NEmo fabrilis, nemo mechanicæ se magistrum profitetur, nisi plures in ea discenda annos insumpserit; & sola animarum regendarum scientia ità prompta cuilibet veniat, ut hodie initiatus, jam magisterium profiteatur?

Ars artium est regimen animarum, quam, qui maximè callere se credit, callet minimè. Dei hoc, non hominum opus est, cujus est movere corda.

Cogi homines possunt ad servitutem, artes instrui possunt & scientiæ, sed ad ea, quæ humanam industriam superant, & supernaturalia sunt, humanâ arte inflecti non possunt. Spiritus Dei hîc operari debet.

Rei pretiosissimæ custodia credita est animarum curatoribus, sanguinis Christi pretium. Væ! si cujus incuriâ perire aliquam contigerit, è manibus ejus repetetur.

4. Julii.

Res plena periculi est, uno omnes calle velle cogere ad perfectionem: quàm varia, quámque multiplicia sint Spiritûs sancti dona talis non intelligit. S. Ignat. apud Quart.

Non

NOn solùm quot capita, tot sententiæ, sed etiam quot homines, totidem sunt formæ. Hoc Omnipotentis artificium est, ut plùs quisque differat in animo, quàm discrepet vultu.

Si ullibi, in animarum directione maximâ opus est discretione. In medicinis non omnes prosunt omnibus, quæ hunc sanavit, occidet illum, nisi qualitate, & quantitate subjecto attemperetur.

Unâ velle omnes methodô regere, perinde est, ac uno capita omnia pileo, uno omnes pedes calceo metiri. Quid interest aliâ alium viâ procedere, modò ad præfixum securus terminum perveniat.

In dispertitis linguis Apostolorum vertici divinus incidit Magister Spiritus. Duodecim sunt portæ cœli, non omnes cogendi per eandem.

5. Julii.

Nulla res mundo magis despicabiles facit Religiosos, quàm si varias secti per partes inter se dividantur. S. Ign. ap. Bart.

ÆStimationem ùt non quærit, ita meretur virtutis studiosus; quàm dis-

eam

tam sectatur, à qua si recedat, meritò contemptum recipit pro mercede.

Quos una vocatio, par institutum, idem scopus arctiùs conjunxit, nisi eosdem sincera jungat charitas, non ordo est, sed confusio. Ibi virtutis non studium, sed exterminium.

Solis radii, nisi unum colligantur in centrum, non accendunt, divisi fiunt inefficaces. Et quid ibi spiritualis emolumenti exspectandum? ubi, quod unus ædificat, alter destruit.

Quos eminentiori in gradu locavit vocatio, iisdem melioris exempli necessitatem imposuit. Malè suadebunt virtutem, qui ejus parùm sunt tenaces, meliora factis prædicando magìs vilescent.

6. Julii.

Magnum, rarum tamen artificium est: agere multa, agere cum multis, & tamen nec à se, nec à Deo unquam recedere. S. Ignat. apud Quart. in Gl.

NEgotiorum multitudo multùm officit pietati: exhaurit fervorem, exsiccat devotionis gustum, speciebus implet sensus, & caput distractionibus occupat.

pat. Si plura, quàm debes, velis, certè plura, quàm possis, noli.

Tu, ùt alia omnia, uniformiter diffor miter age; plùs, & priùs in proprio, quàm extraneo subjecto producit ignis, tuo documento, ut te priùs, quàm alios perficias. Quid prodest calefacere alios, te frigente?

Malè alios quæris, te perdendo, te primùm in salutis, & perfectionis tuæ securitate immobilem fige, tum ad alias curas tuas extendere poteris.

Acus nautica ità tenaci affectu polo affigitur, ut quacunque navim ventus impellat, ab eo non deflectat. Si cor inter negotia sic Deo sit affixum, felices sumus operarii.

7. Julii.

Virtus, & vita Sanctitas non tantùm apud Deum, sed & apud homines vel omnia possunt, vel multum. S. Ignat. ibid.

UT Panthera feras odore, ferrum sympathiâ magnes; sic pietas exemplo affectus trahit; nec elogio, nec commendatione res eget, ubi virtus invitat, prona in sequelam rapiuntur corda.

Nunquam spectatur virtus, nisi cum fru-

fructu. Nempe sol non aspicitur, quin illuminet; nec ignis aditur, quin calefaciat. Muta quidem, efficacissima tamen sanctitas est concio. Basiliscus visu nocet, vir perfectus prodest.

Modesta oris affabilitas, amabilis oculorum quies, elegans gestuum omnium temperies clavis est cordium, qua pectus etiam aheneum certiùs, quàm ullâ machinâ reseratur.

Efficacior vox est operis quàm oris. Longa nempe via per præcepta, brevis per exempla. Certiùs finem obtinet, qui aptè ad persuadendum facit, quàm, qui dicit.

8. Julii.

Conatus conatu, consuetudine consuetudo, quasi clavus clavo, retundatur. S. Ignat. apud Maff.

DUra servitus consuetudinis! quæ non ferro, sed ferreâ vitii necessitate suos catenat; nec quidquam in humanis solet esse difficiliùs, quàm inolitæ consuetudinis tyrannis. Cave hujus funibus ligari.

Est tamen aliquid, quod longam, dustámque consuetudinis catenam rumpat;

nempe contraria consuetudo. Magnum gratiæ beneficium, velle emendari; hæc ubi affulserit, bene sperandum.

Licèt in naturam malum abierit usitatum, aliam tibi pro rationis, & divinæ legis dictamine legere naturam poteris consuetudinis novæ beneficio, adeò similem naturæ, ut tempore solùm dignoscatur.

Famuli, cùm non placent dominis, è familia mittuntur, substituuntur alii; ità & vitium, si tibi sincerè displiceat, mitte, mox illi melior substitui potest; hic emendabit, quidquid consuetudo peccavit.

9. Julii.

Propter remotam spem multa in obsequium Dei faciendi inconsultè negligitur præsens occasio: fiet enim, ut hæc omittatur, & altera non obtineatur. S. Ignat. ibid.

UT pollicitis, ità propositis divitem fieri artis non est, nec labore hæc, nec ingenio egent. Sed quàm facilia, tam inutilia sunt ad intentum seu profanæ, seu sacræ œconomiæ proventum.

Quid futura disponis? otiosorum hic labor est. Hìc Rhodus, hìc saltus. In præsenti, quod præ manibus est, negotio, exer-

re, quid vitium pares in futurum. Nemi-nem ſpes impinguat.

Si quælibet actio, quæ ad manum eſt, perfecta exeat; ſi quod hodie boni agere potes, in craſtinum non differas; brevi compendio ingentia tibi merita cumulabis, & regiâ ad perfectionem viâ non tam ibis, quàm volabis.

Magna illa & horoica, ad quæ tu aſpiras, rara ſunt, fortè nulla erunt. In minori cape experimentum, quid facturus eſſes in magno. Sic miles exercetur in umbra, quid agere debeat in arena.

10. Iulii.

Dum puſillanimes dæmon animo cogitationes affundit, hic acceptorum jam à Deo beneficiorum memoriâ eſt erigendus. S. S. Ignat. ap. Bart. l. 4.

BEneficiorum recordatio, & gratitudinis materia, & novæ ſpei ſtimulus eſt. Qui dedit hæc, dedit tot, nec illiberalior factus eſt, nec pauperior. Infinitum exhauriri neſcit, nec immenſum abſorberi.

Ini, ſi potes gratiarum à Deo tibi collatarum ſyllabum. Si vitam anteactam, ſi diem hunc, ſi præſens momentum in exa-

men voces, parem iis numerum non invenies; totidem crede rationes, quibus ad novarum spem impellaris.

Plura possemus, si auderemus plura. Qui auxiliator est, Deus est; nec facultas illi deesse potest, nec voluntas; tanta non potes audere, quin majora, & possit omnipotentia, & velit infinita bonitas dare.

Pejor est bello timor ipse belli. Sæpe nos metus revocat, ubi spes impellere deberet. Scilicet umbris terremur ab eo, qui princeps tenebrarum cùm sit, diffidentiæ caliginem nobis offundit.

11. Julii.

Si te dæmon ad peccandum impellere nequeat, gaudet fecisse molestiam, & animi serenitatem minuisse. S. Ignat. de discr. spir.

ETiam in minutis lucris exultat ortus, apud quem maximum vectigal est parsimonia; ut nihil negligat, quod lucrifacere potest. Si nequit ad majora impellere, sollicitat ad minora delicta; si nec ista sperat, turbat cordis malaciam, ut devotionem imminuat.

Suspecta tibi sit frequens mentis intem-

pe-

peries, continua illa nubes majorem, quàm passim credatur, coquit tempestatem, facit dæmon sollicitudinem in minimis maximam, ut ad maximos, sub specie boni, errores inducat.

Nimia etiam in sanctis sollicitudo sanctitas non est. Illi continui dubiæ mentis fluctus, hæsitationes in obviis, carnificina sunt conscientiæ, martyrii genus quoddam est, sed diaboli; quia sinè fructu, quia cum domesticæ pacis detrimento.

Conturbatus animus non est aptus ad exequendum munus suum. In turbido isto piscatur dæmon, malum intendit, licèt sub optimo colore, securitatis animæ, damna jaciat. Tuo hìc sensu si nitaris, non evades.

12. Julii.

Tanti Deus rem quamlibet æstimare solet, quantùm se aliquid tanquam instrumentum ad bene operandum Deo conjungit. S. Ign. ap. Bart. l. 1. n. 16.

NOn obviæ artis est adamantem à vitro, aurum obrizum à spurio, ignem fatuum à vero, discernere. Longi usûs, non voluntatis, hoc magisterium est, luce hoc non obviâ eget, sed divinâ.

Appetis alta, & nescis te ruinam appetere, quia tuam, quâ laboras, vertiginem ignoras, cades. Sublimior ille gradus pro te tutior non est; nec enim te Deo, sed vanitati conjungeret.

Judicia Dei abyssus multa; hanc scrutari si didiceris, invenies, quàm tibi securiùs sit officio, quod tam calidè appetis, carere; gradum, quem tam avidè quæris, non obtinere. Sine te Deo.

Quid auro pretiosius; ditat; oculos recreat; sed ventrem non satiat: utilior ad manducandum est panis crusta, quàm auri pondo. Ex aptitudine ad finem medii crescit utilitas. Quid te Deo magis conjungat, quî discernes? cæcus es in rebus tuis. Deus totus oculus est.

13. Julii.

Orationi deditus, nec ariditate dejiciatur, nec extollatur in consolatione: aridus recordetur gratiarum, quibus fruitus est, devotus reputet hanc esse â Deo elëemosynam gratis datam. S. Ignat. ap. Bart.

NOn eâdem semper serenitate gaudet cœlum, quin atris persæpe nubibus obvolvatur; ità cum orantibus agit Deus, alters

alternat vices, jam ubertate ſolatiorum perfundit animam; jam ſiccitate facit exareſcere. Utrumque è cœlo eſt.

Adeſt Deus, ut ad amandum alliciat; abeſt, ut noſtras ipſi vires agnoſcamus. Adeſt, ut conatum noſtrum remuneretur; abeſt, ut, an ſinè mercede ametur, exploret. Adeſt, ut cœli prægustum faciat; abeſt, ut, quàm amarum ſit, ſinè Deo vivere, oſtendat. In utroque Deus.

Orationi pretium nec ariditas, nec conſolatio facit. Nec illa melior, quæ uberior, nec quæ ſiccior, continuò deterior. Voluntas noſtra qualitatis diſtribitrix eſt.

Ut in humanis, ſic & divinis læta ſuccedunt triſtibus, vel quia Deum varietas hæc delectat, vel ne par ſemper rerum facies nobis pariat faſtidium.

14. Julii.

Animarum ſaluti addictos ità oportet laborare, ut non tantùm Deo, ſed & hominibus propter Deum ſe gratos faciant, & divini honoris zelum ex proximi profectu moderentur. S. Ignat. ibid.

SOrores ſunt virtutes, non colliduntur ad invicem, pacificè in eodem corde

hoſpitantur. Dilectio Dei nihil officit in proximum charitati; una adjuvatur altera, & velut circuli in catena inſeparabili nexu ſociantur.

Ubi cum juſta plurium offenſa Dei honor quæritur, zelus non eſt, ſed paſſio, ſed jactantia; tantò deſpicabilior coram Deo, quantò major eſt abuſus, vitia virtute paliare.

Si hominibus placeret, Chriſti ſervus non eſſet Apoſtolus: ſcilicet ſi hominum gratiam ſpectaret ùt finem, ſi commodo ſuo, aut voluptate id faceret.

Favor hominum quæri cum virtute poteſt, imò debet, ut hoc ſemel occupato, cor ejus poſſideamus, eíque Dei amorem implantemus. Non te audiet, qui odit.

15. Julii.

Erga ſceleratos eo pacto te gere, quo piamater jacentis filii miſeratione ſe macerat; blanditúrque illi ſedulitate haud paulò delicatiori, quàm ſano, & valenti. S. Ign. ap. Bart.

UT difficiliùs animi, quàm corporis ægritudines curantur: ità plures in illius, quàm hujus cura irrepunt errores. Utrique Medicorum imperitiâ. In

In animorum cura illud habe fundamentum: nullam fore efficacem malo medicinam, nisi hæc à tali afferatur, quem patiens amet. Animus primùm occupandus est, ut ejus vitia expugnentur.

Unguis in ulcere auget, non tollit malum. Continuus stimulus ùt dolorem, ità odia suscitat. Molli manu, levissimèque attingenda sunt apostemata, secus erit intolerabilis curatio.

Vides afflictum vacillare sub onere. Si impellis? cogis ad ruinam, quem erexisses, si propitiam debili manum obtulisses. Tempori aliquid, aliquid ætati, nec parum indulgendum fragilitati.

16. Julii.

Ne in rerum propriarum deliberatione nos amor proprius in transversum agat, considerandæ illæ sunt tanquam ad alios, non ad nos spectantes, ut sic veritas, non affectus judicium ferat. S. Ignat. ibid.

Corporis oculos ità natura instituit, ut, licèt alia omnia, se tamen minimè videre possint. Par mentis oculo sit officium, cui de aliis judicium committi potest, de se ipso nequaquam.

Cuique sua præ alienis placent, nemo non afficitur erga ea, quæ efficit. Quæ viciniora sunt, apparent majora, quæ remota, decrescunt. Ut tibi nemo te vicinior, ità nullus charior.

Malus in dubiis judex est affectus, eò libram flectit, quò ipse propendet, quantùm deficit meriti, tantùm addit de favore; quid mirum? quòd præponderet.

Tantò se quisque sinceriùs amat, quantò plùs à sui amore recedit. Sic, quod bonum est, non quod bonum apparet, tibi voles, si tuam sectaris voluntatem, quò cæca te ducet?

17. Julii.

Nec discursu, nec rationibus ullis tantùm erudimur, quantùm humili ad Deum recursu. S. Ignat. apud Nolar.

NOn in persuasibilibus humanæ sapientiæ, verbis, vel auxiliis litteratis ponenda est spes scientiæ, hujus fons investigandus est alibi, ubi nempe thesaurus est sapientiæ, & scientiæ Dei absconditus.

Bonaventuræ Bibliotheca Crucifixus est; plus inde is affectu didicit, quàm e mille

mille libris alii ſperare poſſint. Nihil demitur ſcientiis, quod tribuitur pietati.

Scientia, quæ robur non accipit à pietate, parum proficit: ſicut non omne ſemen frugiferum, ita non omnis ſcientia fœcunda eſt, hæret inutilis, ſicut theſaurus abſconditus, cujus non eſt uſus.

Multi docti parvum doctrinæ fructum referunt, poſt tot annos ſtudiis addictos ſterile ſemper ſolum arant, & cùm ſeminaverint multùm, parum metunt, illúdque plùs lolii, quam frugis: quia ſinè benedictione Dei, medulla deeſt.

18. Julii.

Puſillanimitas tua dæmonem audaciorem facit; ſicut fœminæ tunc ſolùm ſunt audaces, cùm æmulos viderint effœminatos. S. Ignat. in Exerc.

TAlem erga nos experimur dæmonem, qualem ipſum volumus. Cadit ille animo, ſi nos aſſurgimus; viciſſim tantùm ei accreſcit, quantùm nos animi perdimus. Noſtrâ puſillanimitate robuſtior, & robore fit infirmior.

Imprudentes ſumus, nobísque maximè inimici, ſi non hebetemus hoſti potiùs,

quàm acuamus arma, si non eripiamus citiùs, quàm ministremus nobis nocendi media. Nihil contra nos ille posset, si nos nollemus.

Qui timet, jam mediâ, & meliore sui parte victus est, non hostis fortitudine, sed ignaviâ propriâ prostratus. Et quis tam inerti pugili compatiatur?

Ferox, & implacabilis hostis est, sed in timentem; si cedis, insistit: resiste, non nocebit; fortè nec tentabit. Vinci enim eum pudet, mavultque non tentare pugnam, quàm perdere.

19. Julii.

Ut correctio locum habeat, debet esse vel authoritas in corrigente, vel amor cognitus in corrigendo. S. Ignat. apud Bart.

TOt in Republica pœnæ, tot passim sunt carceres, & pauci emendantur! pauciores futuri rei, si rariora forent supplicia. Metus non emendat, torquere, occidere, sic scelus finire potest, non emendare; hoc non facit, nisi amor corrigentis.

Flabrum ignem non extinguit, sed in flammam evocat; aqua stillatim igni aspersa hunc auget potiùs, quàm imminuit:

cor-

correctio pariter, magnâ authoritate destituta, exacerbat animum potiùs, quàm componit.

Ut alium tutè corrigas, authoritatem tibi non persuasio tua, non nuda ætas, nec fastus, sed virtus tribuat. Malè corrigit ipse corrigendus; culpâ vacet, qui culpas vult diluere.

Si tantus tibi corrigendi pruritus, ecce consilium: non procùl eundum est, temet inspice, tuos ad censuram mores voca; & quàm uberem correctionis materiam reperies? in hanc priùs, quàm alienam messem mittenda falx est.

20. Julii.

Qui sua propter Deum deserere non movetur, cuncta tamen ad eum referat, ac licèt multa, minoris semper sint uno, quod necessarium esse Christus pronunciat. S. Ignat. apud Bart. f. 378.

UT ut difficilè, impossibilè tamen non est, cum divitiis cœlum reperire. Impedimenta illæ sunt, non naufragium salutis; malæ illæ non sunt, nisi tales, aut usus faciat, aut affectus.

Habent & opes sua bona. Quis egeno

ſuccurreret ? quis templa,& aras erigeret? ſi pauperes forent omnes: nisi forent divites,non viverent pauperes, quia non eſſet, unde inopiæ ſuæ levamen acciperent.

Nec omnes ad eundem perfectionis gradum vocavit Deus. Qui optimus eſſe deſiderat,curet,ut in ſuo, quem Deus illi deſtinavit gradu,bonus ſit; nec enim continuò malus,qui non optimus.

Nec tam cenſus aſpiciendus, quàm affectus. Minorem ſæpe dives ad gemmas, & aurum, quàm ad cultellum habet pauper, tantò contemptibilior, quantò vilius eſt, quod deperivit.

21. Julii.

Par Deo reddenda eſt ratio, ſi delitiis in culpam aliquam emolliatur corpus, aſſ illud ſeveritate nimiâ enervetur, licet hæc divini honoris, & meriti causâ ſuſcepta videatur. S. Ignat. apud Bart. l. 4. f. 38.

ASperitatibus, an voluptatibus celeriùs atteratur corpus, ægre dixerim. Problema eſto: ibi ſeveriùs, hìc dulciùs perit, perit tamen utroque modo; & uſu nempe, & rubigine ferrum atteritur, via impari,damno pari. Plu-

Plures occidit gula, quàm gladius. Venus innumeris venenum propinat, dulce quidem, fatale tamen; mulcet illa corpus & corrumpit; vires attenuat, morbos accelerat, vitam abbreviat.

Corpus noſtrum res eſt magni Dei, & fidei noſtræ commiſſum, quo nec pro arbitratu noſtro uti, nec illud periculo exponere ſinè crimine poſſumus. Veniet Dominus rationem exacturus de illo.

Domine! ùt jumentum factus ſum ante te. Domini obſequio ſervari debeo; quod aſino, hoc corpori debetur obſequium; paſcatur, ut oneri par maneat ferendo.

22. Julii.

Quantò quis oculatior eſt in ſcrutandis aliorum defectibus, tantò eſt in ſuis agnoſcendis negligentior. S. Ignat. apud Bart.

QUid juvat omnes noſcere, ſi tibi vivas ignotus? alios deſideras nævi omnis expertes, tuos negligis! hoc eſt ſcrutari feſtucam in vicino, & trabem in tuo oculo non ſentire.

Scarabæorum (ſordidum genus) naturam alunt, qui aliorum rejectamenta ſcru-

tan-

tantur, & toti vivunt in carpendis aliorum moribus.

Nemo est ità vitiis deditus, qui non plurima habeat, multâ laude digna; cur pronior es ad ejus defectus præ virtutibus videndos, nisì, quia oculus tuus nequam est.

Qui optimus est, optimè de aliis sentit; nec ullus ad rodendos alienos errores pronior, quàm, qui domi, & in sinu suo, plurimos nutrit; à se quisque ad alios ducit argumentum.

23. Julii.

Multos famæ, & virtutis commendatio à viro gravi profecta plùs, quàm virtus ipsa, ad sui amorem invitat. S. Ignat. apud Bart.

HOnestæ indolis est famæ cura; prima, etiam præ vita, magnæ mentis est sollicitudo, ut nullo eam dedecore vitiatam transmittat ad ætates posteras.

Vita bona necessaria est nobis, pro nobis, fama bona pro aliis. Sinè qua parum efficiet, etiamsi in sublimi sit gradu sanctitatis. Famâ plùs, quàm armis, geruntur & bella, & negotia.

Fa-

Fama bona emi non potest, nisi vitâ bonâ; interna, quæ soli Deo innotescunt, pretium, externa opinionem, faciunt ; ex iis, quæ sub sensum cadunt, judicat vulgus. Cave tibi, cave tuis officere.

Mala fama tam parum, quàm ignis occultari potest, volat, & vix centum elogiis revocabilis. Delicata res est fama, super omnes fortunas curanda.

24. Julii.

Parvuli etiam donis, & bellariis, tanquam tenera animalcula iis, quæ arrident, possunt ad officia virtutis animari. S. Ignat. ibid.

A Teneris virtuti assuevisse, maximum est vitæ probæ magisterium. Ægrè annis senioribus ponuntur mores, qui juvenilibus erant assumpti, sic lana colorem, quem prima bibit, ægriùs mutat.

Qui juventutem curâ destituit, ætatem perdidit: tenera illa duriorem horret censuram: silentium, serietas, morum compositio tormenta ejus sunt. Hìc opus est arte, quâ hæc fiant chariora.

Ut aves capiuntur escâ, quam diligunt: ità juventus, per ludicra, est ad seria indu-

cen-

tenda. Hoc ſuos dolo cæpit, qui omnibus omnia factus eſt, Apoſtolus.

Blanditiis ægrum delinit medicus, ut congruam ſanitati medelam admittat, quid intereſt? jocò, an ſeriò, minis, an muneribus in tua vota parvulum pertrahas, modò illa diſcat profutura.

25. Julii.

Præſtat prece, vel pretio, quàm litibus obtinere, quod intendis. S. Ignat. apud Ribad. in vita.

LItes plùs poſt ſe faſtidii, quàm utilitatis, trahunt, &, ſi quid Judicibus, & Advocatis, non litigantibus, proſunt, obſunt ſanè plurimùm, ſi animorum averſiones in cenſum veniant. Incertus ſemper litis eventus; certa ſunt incommoda, commoda prorſus dubia, & quis tam fragili rati ſe, & ſua committat? Inter jurgia vivere calamitas eſt, non vita.

Pax optima rerum, quas homini natura dedit; hanc pro ſpe tenui convellere, peſſima eſt œconomia; hoc enim eſt plus perdere, quàm lucrari.

Duplex damnum nulla lis effugit, lucri ceſſantis unum, damni emergentis alterum: il-

illud imminutio charitatis, istud temporis, si non etiam æris jactura creat.

26. Julii.

Mortificationi danda quidem utrique est opera, eo tamen discrimine, ut interiori præcipuè, perpetuò, atque ab omnibus; exteriori, quantùm & rerum, & personæ & temporis conditio exigit. S. Ignat. apud Bart. l. 3. f. 218.

AFfectuum impotentia omnium est malorum, quæ hactenus orbis sensit, fundamentum; quorum proinde, per mortificationem institutio non tantùm privatum bonum est, sed publicum.

Unicus malè domiti cordis impetus in quæ non mala effunditur? una cupido imperandi, quantis orbem bellis affecit! nec minus in microcosmo periculum.

Qui vult pacem, legem dicat affectibus, ultra quam progredi non sinantur. Nemo novit, quantùm afferant adjumenti, cùm in fræno sunt affectus, nisi expertus, quantæ sint pestes, si effrænes maneant.

Cor nostrum aula Dei; tot facimus ferarum caulam, quot ineruditos sinu affectus fovemus. Belluini sunt, & his pejores; quia

quia jugum rationis, quo belluæ carent, excutiunt.

27. Julii.

Quod in principio facilè aboleri potuisset, diuturnitate temporis, & operis iteratione redditur irremediabile. S. Ignat. apud eund.

QUam levi manu, in tuos nutus flexilem, duxisses arbusculam, ubi creverit, vix securibus, & multis ictibus ad demissionem illa flectetur; ità grandescunt vitia, & à tempore robur accipiunt.

Noxia celeriùs agunt radices, quas ubi fixerint, omnem olitoris industriam ludunt; quâ cœperunt, non quâ deberent, viâ diffusæ melioribus umbram faciunt.

Ubi mala invaluerunt, sera est omnis diligentia: quæ digito supprimi scintilla potuisset, neglecta vires accipit, & remedii omnis impatiens latè dominatur, noxia hæc negligentia.

Maxima negotia confecit feliciter celeritas, à mora quid boni expectes? differre nolentis est. Serò medicina paratur veneno postquam venas omnes infecit; semper crastino magìs propitius habendus est hodiernus dies.

28. Jul

28. Julii.

Attendamus tantùm divinis obsequiis, Deus nobis ultro, quæ opportuna fuerint providebit. S. Ignat. apud Bart. t. 345.

JUstô major temporalium cura diffidentiæ, vel appetentiæ argumentum est. Qui pascit volatilia cœli, suorum minùs obliviscetur. Inanis nos sollicitudo tangit.

Si magìs delectaremur internis, rariùs memoriam subirent temporalia; quibus si occupetur animus, non potest sinè pugna levare se ad cœlestia. Pessima commutatio, horum damno, illa promovere.

Quid labore fatigaris? incassum seminas, frustra rigas, nisì Deus det incrementum. In ejus manibus multiplicantur panes, ut millibus sufficiant. Liberalibus in Deum, non est timenda inopia.

Qui quærit abundantiam, per spiritualia quærat; non veniet illa, nisí largiente illo, à quo omnia. Si quis in temporalibus affectus appareat, vide, an non præcesserit in spiritualibus.

29. Julii.

Qui domitos habet affectus, plus unius quadrantis meditatione fructûs assequetur, quàm

quàm crudus aliquis plurium. S. Ignat. apud Ribad.

ANima orationis mentis est recollectio, quam non speret, ubi perpes non domitorum affectuum strepit intemperies, dividit illa animum, non colligit; dissipat spiritum, non excitat.

Ideo rarus tot orationum fructus, quia rara eam comitatur mortificatio. Lignum probè siccatum absque negotio flammam concipit, ubi recens diu cum igne, & nativo humore colluctatur.

Imminutio cupiditatis augmentum est charitatis; ubi nulla cupiditas, ibi perfecta charitas; tot gradibus cor ad Deum elevatur, quot ab innatis recedit affectibus.

Ut ignis remotis, quæ cursum morantur, impedimentis, illico ad centrum abripitur, ità cor appetitibus depuratum aliis non eget aliis, ut celeriùs ad Deum perveniat.

30. Julii.

Maledicorum ora graviorum virorum testimoniis sunt diluenda, & benefactis loquentium iniqua obstruendum. S. Ignat. apud Nolar.

Qui

QUi declinare ictus maledicentiæ non potest, pectus opponat aheneum, id est, recti conscientiâ munitum: hìc hebescit omne, quod timeri potuisset telum, animum non subibit, minùs lædet.

Si verba verbis æquâ dosi remetiri velit, flammas augebis, quæ tantò excrescent altiùs, quantò vehementiùs contentione mutuâ, velut vento, collisæ concitabuntur.

Tutiùs contemnuntur calumniæ; citiùs, si non excusentur, conticescunt; te tacente echo quoque conticescet. Concertatione mutuâ ad plures transit notitia, sicut agitata in luculentum incendium evadit flamma, quæ intacta, vix ultra focum spectabilis, subsidisset.

Si vindicare cogitas, hosti palmam porrigis; quia vulnus, quod intentabat, te accepisse gemitu doces; Major est calumniis, qui has curare non didicit. Non tu, sed vita tua eas retundat.

31. Julii.

Nec optatum, nec jucundum magis quidquam accidere potest, quàm pro Christo, proximique salute mori. S. Ignat. apud Nad. in Glor. S. Ignat.

Quàm

QUàm diu vivis, agis inter mille calamitates, parum, imò & bonum hoc foret, sed inter salutis versaris pericula, quæ non priùs effugies, quàm hinc beatâ morte discedas. Non erit securitas extra sepulchrum.

Cùm moriendum sit, præstat in acie pugnantem pro Deo, & proximo cadere. Ignava mors ætate confici, febriculâ decoqui, tolli casu. Pro Christo vitam dare, mors est omni vitâ dulcior.

Inter summa Dei beneficia numerandum, posse pro ipso mori; tenerioris hoc ejus in nos amoris foret indicium, adeò proinde non formidandum, ut summis precibus votis sit expetendum.

Si vitam pro te Christus posuit, magnum sit, tuam pro illo ponere? Quis? pro quo? quid Deus? quid vita sit? ignorat, qui rem adeò vilem, tot periculis obnoxiam, tanto, ac tali Domino reddere non optat. Quid te retinet?

1. Augusti.

In bonis vestris, sanctisque exercitiis ad omni tempore, ac pigritia tanquam ab hoste capitali abhorrete. S. Ignat. in epist. de perf. Gra-

GRaviſſimus hoſtis, qui non opes aufert, ſed meritum ; vitam petit non corporis, ſed operis ; optima quæque corrumpit ; & quod peſſimum , adeò tacitè nocet, ut mala ſua vix ſentiantur , & citiùs ad animæ ruinam , quàm notitiam perveniat.

Hoſtis eſt acedia graviſſimo pejor. Peccatum vel ipſo nomine horrorem creat. Amatur acedia, quo fit, ut citiùs illud, quàm hanc ſequatur emendatio. Plures è cœno peccatorum , quàm è teporis veterno ad inſignem ſanctitatis gradum ſurrexerunt.

Fervor, & affectus pretium ponunt operibus. Sancta ſunt, ſi ſanctè tractentur; eadem, ſi levi manu , ſi oſcitante corde agantur, mala fiunt; & iiſdem, quibus præmium poteramus, factis pœnam meremur.

Quantùm addis ad diligentiam, tantùm Deo places. Væ tepidis ! ùt aqua nec frigida ſatìs, neque calida bilem , ſic opus ignavum diſplicentiam cœlo movet.

2. Auguſti.

Qui vel nobilitate generis , aut doctrinæ, ingenive commendatione excellunt , ii, præ cæteris in ſui abnegatione exercitati

esse debent, aliàs graviùs nocituri, quàm ignobiles, & ineruditi. S. Ignat. apud Bart. l. 4.

MAgna ingenia magna minantur pericula, nisi virtutis imperio dirigantur. Gladius magis acutus vulnerat, & in plures desævit.

A grandibus ingeniis nihil mediocre expectandum, vel virtuti addicta sunt ex integro, vel insigniter insolescunt. Nec ab ullis respublica plùs accepit detrimenti, quàm ab insignibus ingeniis malè disciplinatis.

Nec in generis, nec in ingenii nobilitate quidquam est gloriæ, si virtute destituta se ad ignobilium sortem abjiciant. Plùs utraque ad contumeliam, quàm sui commendationem momenti affert.

Ubi grande ingenium, nulla sæpe ibi prudentia; quæ si desit, ut corpus oculo, currus aurigâ destitutus, quò? nisi ad præcipitium properat. Mediocritas ingenii, ùt plùs habet judicii, sic plùs spondet utilitatis.

3. Augusti.

Ut bonum, quod fit omittatur, sæpius damnum

invitat ad majus ; quod tamen deinde novis difficultatibus objectis impedit, ne fiat. S. Ignat. de discr. spir.

PRæsentia, spe futurorum, dæmon impedit ; hæc ubi præsentia fuerint, iterum impediturus; ut sic omnia differendo, nihil fiat cœlo, nihil Deo, dignum. Dilatione lucri, ùt nemo ditior, ità nemo factus est sanctior.

Qui tibi hodie boni operis præmium promisit, crastinum non est pollicitus ; volat vita, & inopinatò avolat. Quis tunc propositorum fructus? hodierna neglexisti, crastina emanserunt, nudis tu manibus hæres in vado.

Quomodo cras grandia faciet, quem minimæ hodie tædet difficultatis? Qui non cum Milone hodie bajulare potest vitulum, cras bovem minùs bajulabit. E minorum nempe exercitio spes legenda est ad majora.

Major pars hominis expectando moritur, differunt sanctè vivere, donec eò veniant, ubi etiam cùm vellent, non ampliùs possint, dum medios eorum conatus mors occupat, tantò difficilior, quantò impatior.

4. Augusti.

Ità subditos tractet Superior, ut sinè gemitibus vivant alacres, & Deo serenâ mente serviant. S. Ignat. apud Nolar.

ASsuescunt flagris, qui continuò verberantur, & quem habuerunt sensum, verberis assiduitate perdunt: nec alium continuata hæc sævitia facit fructum, quàm ut & pœna spernatur, & puniens.

Metui occalescens animus pejor fit, pudoréque semel excusso audacior in nefas abit, nec bonis deinde, nec malis facilè revocabilis ad imperium.

Intempestiva reprehensio idem facit, quod violenta medicina; plùs nocet sæpe, quàm morbus; pejus malo remedium, quod vitam celeriùs eripit, quàm ægritudo, quam tempus, & mollior manus emendâsset.

Correctionis legem à Deo Superior discat. Quoties ille dissimulat? quàm raros? multis punit? & nullum, nisi infra demeritum. Ubi essemus? singula si Nemesis errata vocaret ad censuram.

5. Augusti.

Ità vetus homo mortificandus est in virtu-

tis tyrocinio, ne novus moriatur. S. Ignat. apud Bart.

QUæ citò creſcunt, citò pereunt. Juvenum hoc vitium eſt, uno paſſu totam velle perfectionis viam emetiri: nempererum omnium magiſter uſus eos deſtituit, Deo tardè, nec nisi damno ſuo moderationem diſcunt.

Primus fervor, ſi inconſultus ſit, plùs virtuti officit, quàm proſit. Si equi primùm quadrigæ juncti toto, quo valent, impetu, currere ſinantur, evertent citiùs, quàm in termino, quem optabant, currum inſiſtant.

Intenſa nimiùm durare non poſſunt. Ubi ſol ſupremum zodiaci apicem ſubiit, deſcendit; par eorum fatum, quorum virtus principiò gigantis inſtar, eſſe videbatur, quotidie decreſcit. Nolo hìc multis, experientiam conſule.

Stabilior futura eſt ædificii moles, quæ ſenſim, & quaſi per gradus eluctatur, quàm quæ repentino conatu evehitur in ſublime. Fructus omnes natura ſenſim provehit ad maturitatem. Multùm errat, qui errat in principio.

6. Augusti.

Res potissimùm publicæ, ut plurium oculos, & judicia subituræ, non inchoentur, nisi media ad finem deducendi sint prævisa. S. Ignat. apud Martini in Nov.

FOrtunæ rei successum committere, partus est imprudentiæ; si è voto cadat, non tibi, sed casui adscribendus. Temerarius est, qui ad terminum tendit, cujus viam ignorat.

Serò sapiunt Phryges, quia sinè futuri sollicitudine hodierni sunt, futurorum immemores. Nulla magìs metuenda mala, quàm quæ nullum sui metum præmiserunt. Ut prævisa minùs, ità subita tela magìs, feriunt.

Nimiùm serò medicina paratur morbo, qui cùm ad extrema deduxerit ægrum, tum hìc primùm noscit quò? quâve negligentiâ invaluerit malum, cui præservativa levis medela impediendo profuisset.

Quid mirùm? quòd corruat, qui cæcus, foveæ, an solidum, quò pedem figit, non attendit. Oculi sapientis in capite, stulti verò in pedibus sunt. Ille in principio designat media, istum in fine pœnitet errâsse.

7. Augusti.

Errores, si, ùt humanum est, in aliis occurrunt: speculum tibi sint, è quibus videas, quid in te deformitatis tollere debeas. S. Ignat. apud Ribad.

OMnis proximi actio tua sit institutio; nulla est, ex qua vitæ præcepta legere non possis. Quæ laudem merentur, stimulus tibi sint ad virtutem; quæ displicent, cautela sint, ne sequaris.

Etiam è veneno medicinam parare nôrunt pharmacopæi; pari tu arte, certiore fructu, aliorum delicta in tuæ fragilitatis medelam converte. Ubi alium cecidisse vides, illic tu in glacie cautiùs pedem fige.

Scientia per propria pericula carò venit; felix, quem aliena docent; serò perfectionem assequetur, qui viam per suos errores velit discere. Iter per pericula non potest esse sinè periculo.

Nemo virtuti, minùs prudentiæ suæ fidere debet; exempla videat, brevior hæc, tutiórque semita, quam qui negligit, extra orbitam raptus temeritatis suæ pœnas formidet.

8. Augusti.

Quisque seipsum priùs approbet, tum facilè in aliorum mentibus sui approbationem ingeret. S. Ignat. ibid.

OPtimus censor conscientia tua; hæc videt, quæ aliorum oculis abscondita sunt; si hæc te crimine omni absolvat, si laude dignum pronunciet, facilè reliquos approbatores invenies, illi suam omnes transcribent sententiam.

Ut non facilè latet ignis, quin aliquo se prodat indicio; licèt abditus lateat in penetralibus, vel calore, vel fumo sui notitiam facit: sic frustra domestica occultantur vitia.

Habet conscientia proditores. Quæ in corde arcanissimè credimus esse recondita, vultus prodit, & oculus; in hoc theatro se sistunt omnibus, etiam te prohibente, quæ si pario tegi maluisses.

Quisquis domi habet omnem seu laudis, seu censuræ apparatum, ex se vel beatus, vel infelix. Una proinde princeps tibi cura sit, ne tua te accuset conscientia. Hujus quotidie sensum explora.

9. Au-

9. Augusti.

ità agenda sunt omnia, ut quæsita laus ab actione procul absit; ejusmodi tamen sint, quæ justo reprehendi non possint. S. Ignat. ibid.

LAudem quærere vanitatis, obtinere felicitatis, sed mereri virtutis est, illa cùm in manu sit aliena, fatuus labor sit aucupari, hoc qui quærit, semper invenit. Huc conatus!

Ut aurea sint opera tua, non inaurata, curæ tibi sit; id est: sint, & non appareant tantùm bona; pretium mereantur, non emant; quod nec ab oculo, nec judicio alieno poteris obtinere. Omnia tua tecum portas.

Nihil adamanti decedit pretii, licèt ab ignaro minùs æstimetur; tantùm valet, quantùm in se ponderat, domesticâ satìs virtute dives. Illum laude dignum censeo, qui in se uno ponit omnia.

Censuram oculorum vitare non possumus, arrogant hi super omnes judicium. Ità proinde agendum in publico, ut nihil oculos subeat, nisi comptum, & numeris omnibus absolutum. Graviùs peccat, qui coram aliis.

10. Augusti.

Integra priùs personæ habenda cognitio, quàm te in ejus immittas amicitiam. S. Ignat. apud Ribad.

QUi mergi non vult, priùs vadum tentat, quàm se, vel sua flumini committat, bolide sibi viam parare præstat, ne quâ optabat effugium, inveniat sepulchrum. Quot non sub placidis aquis latent charybdes!

Nullum est flumen humano corde profundius, latent hìc plurima, nec ullus tam perspicax oculus, qui ea discernat; frustrà hìc fenestram quæsivit Momus. Optare poterat, non sperare. Inscrutabile est cor hominis.

Ars tamen artem superat; est etiam ad cordis arcana via, si non patula, per rimas tamen eò penetratur. Produnt nempe se affectus, etiam inviti, & ex actibus prospicit animus, ut vulpes è fovea, dum se non putat observari.

Pretiosa res amicus, cautè tamen selige, donec eligas, ne dum adamantem cupis, vitrum accipias; idem utrique color, sed quantò major in eo raritas, tantò major pre-

pretii diversitas. Nemo tibi sit amicus, nisi optimus.

II. Augusti.

Heu! quantùm non de libertate tantùm, sed & authoritate, nominísque existimatione amittit, qui munera accipit. S. Ignat. apud Ribad.

DUm capit escam piscis, capitur, & commutatione damnosâ plùs perdit, quàm obtinuerit, verme potitus, se amittit; nihil melior avari conditio: munus accipit, & meliorem sui partem, libertatem vendidit.

Vilis genii est muneribus inhiare. Mercenarium hominum genus, nihil agit absque lucro; mens, quæ supra vulgus se extulit, non ità terrenis affigitur, ut honestum utili anteponat.

Illud sanè turpissimum, si ex spiritualibus questus fieret, eáque in avaritiæ fomentum verterentur, quæ deberent esse ejus exstirpandæ instrumenta. Fit tamen, ut auri fulgor ità excæcet, ut etiam æterna perituris servire cogantur.

Si hìc laboris tui mercedem accipis, non est, quam expectes in futuro. Pro mo-

dico perdis immensum. Non est hoc lucrari, sed perdere; pro re umbram venari.

12. Augusti.

Nec in affectu, nec in dejectione animi vehementi quidquam statuendum; sed ubi recesserit fervor, eligendum, quod matura ratio, non quæ impetus suaserit. S. Ignat. de elect.

DEliberatio tantum in agendis rebus momentum habere debet, ut quidquid sinè hac suscipiatur, laude careat, dum successus casui, non consilio venit adscribendus. Hæc sola hominem ab irrationali discernit.

Properare, & errare prorsus affinia sunt, cæcos canis parit catulos, quia festinatò. Repentina resolutio, ùt facilis, ità parum utilis. Mala consiliaria est festinatio, nihil suadet moderatum.

Si deliberandum est diu, quod statuendum semel est in negotiis; quantò magis in illis locum habere debet consilium, quæ animam, quæ æternitatem spectant, ubi error facilior, difficilior, si ulla, emendatio.

Multa docet vel ipsum te usus. Expe-

ctas;

cta; sæpe mora consilium dabit, quod à sapientissimo vix sperari potuisset. Dilata fieri, facta revocari non possunt.

13. Augusti.

Ità componendus est homo interior, ut ex illo compositio promanet in exteriorem. S. Ignat. ap. Nolar.

EXterior hominis compositio nisi ab interna, velut radice, progerminet, fictioni propior est, quàm modestiæ; quæ nec virtutis meretur elogium, nec habitura est constantiam.

Ut rotæ horologii, quî cursum teneant, exteriori se produnt indice, & ex hujus motu illarum noscitur constitutio; similem noscendi homines viam nobis indulsit natura.

Interior animi quies sibi, exterior aliis prodest; non ex integro dicendus bonus, nisi utraque societur: ex tali quippe consortio, præter recti conscientiam, publica etiam ædificatio promanat.

Thesaurus, quàm diu reconditur, parum est utilis; interior compositio, quàm diu sola est, tibi, non aliis, exterior aliis, non tibi prodest: si verò hæc illius sit

filia, & hæc, & illa tibi, & aliis æquè pro-
deſt.

14. Auguſti.

*Mundum reformaturus à ſeipſo incipiat, ſo-
cus, oleum ac operam perditurus* S. Ign.
ap. Bart. l. 4. §. 36.

SIc fuit, ſic ſemper erit: curabuntur ſu-
perflua, ſemper neceſſaria negligentur.
Nævis alios omnibus liberare fatagis, te fac
ideam, ex qua, ubi perfecta fuerit, ad uni-
verſi reformationem tutò tranſibis.

Si decimam curæ partem, quam impen-
dimus aliis, nobis applicuiſſemus, quàm
alii eſſemus! nunc quia potior ad alios
cura, minor domi profectus, foris nullus;
nec enim plùs ulli perfectionis cauſa tri-
buit, quàm ipſa poſſideat.

Vis docere alios? exemplis age: his do-
ce, quid fieri velis; tu primus docilem tu-
bi te præbe diſcipulum, tum ſpera plures.
In aliena tantùm falcem mittere, eſt mul-
tùm metere, ſed nihil in horrea inferre.
Labor eſt, non utilitas.

Imò, ſi à dictis recedant facta, non tan-
tùm non prodes auditoribus, ſed noces
graviſſimè: quia rem tantis exaggeratam
en-

encomiis, dum ipse panegyrista negligis, ostendis factu impossibilem.

15. Auigusti.

Si scelus proximi nimiùm evidens bonæ mentis excusationem non admittit, non delinquentem, sed tentationis violentiam damna, cui, aut pejùs, aut pariter cessurus fuisses. S. Ignat. apud Bart. f. 387.

COmpatiendum est ægro, non insultandum, cùm nescias, quod te fatum exspectet; quem hodie intactum præteriit, cras ferire poterit casus, huic obnoxii manemus, quâm diu viatores sumus.

Quoties hominis fragilitatem vides, tuæ totidem vicibus te crede admoneri; ut cautelam discas, non ut lapsum despicias. Sæpe gravior lapsus alieni contemptûs pœna fuit.

Dum catulus fortè ictus gemit, timet leo; tu nec innocentiæ præteritæ, nec tuo tantùm fide proposito, ut omnem peccati metum ponas, præsumptio ista foret. Si stellæ de cœlo cadunt, quid sperent titiones? aliena vitia, tua sint documenta.

Quis te alienorum dictorum, factorúmve censorem constituit? quâ tibi authorita-

te

te judicis munus arrogas? plures nunc interpretes sunt, quàm authores, plures judices, quàm rei; nisi in horum numero judices ipsi, violatæ charitatis rei, censeantur.

16. Augusti.

In curanda proximi salute authoritas necessaria est, sed ea, quæ de vana illa mundi authoritate nihil participet. S. Ign. apud eund.

ALiud est fastus, aliud authoritas: illum doctrina, nobilitas, honor, aliáque naturæ dona, hanc inculpatæ vitæ norma, creant; quantùm hæc ad animarum curam utilis; tam noxius ille est.

Nec admirabili doctrinâ, nec insigni gradu, nec opibus, ad authoritatem opus est, sinè hoc sumptu comparari potest. Omnes ejus opes virtus sunt, & humilis animi demissio.

Grande supercilium plùs terret, quàm alliciat, sui contemptum citiùs, quàm affectum persuadebit; sinè hoc irritus est omnis conatus: non vincuntur animi, nisi se sponte dedant.

Cervix erecta, frons severa, hostis argumenta sunt, non amici, opponet se his animus

mus citiùs, quàm ſubmittat. Non eſt tutior ad corda hominum expugnanda methodus, quàm rem agere cuniculis; affabili ſubmiſſioni cedunt penetralia, quæ faſtui mille ſeris occluſiſſent.

27. Auguſti.

Ab omni quidem pertinacia procul eſto, rei bene cœptæ tamen ità inſiſte, ne turpi fugâ aut quaſi deſperatione fatiſcas. S. Ignat. ibid.

UT perſeverantia laudatur in bonis, ità meliora cæpiſſe conſilia, vituperari non debet; nec enim à cognito errore recedere, levitas eſt, ſed in meliùs translati animi indicium.

Grandis arrogantiæ, imò ſtultæ perſeverantiæ eſt ità pertinax conſilii ſemel initi tenacitas, ut, quod dixit, qualecunque ſit, fixum, ratúmque manere velit, errorémque excuſare malit, quàm mutare.

Quis ita perſpicax unquam fuit, ut credat nec ſibi, nec aliis meliora unquam incidere potuiſſe, quam quod ſemel ſtatuit; nullum ſe prudentiorem credere factus eſt, an malitia inaudita? Sapientis enim eſt cum re mutare conſilium.

Cum

Cum duro adeo capite durissimùm est agere, apud quem nec ratio ulla pondus, nec consilium, quod domi suæ natum non sit, locum invenit ? Quò sapientior quisque est, tantò est rationi obsequentior.

18. Augusti.

Parùm interest, si mundo negligenter servias; hoc verò intolerabile est, Deo cum negligentia servire. S. Ignat. ap. Maff.

NEglectim servire Principi contemptus est, non obsequium, pœnam relaturum pro mercede, non præmium: quantum enim operi debito accedit negligentiæ, tantum æstimationis erga dominum defeciſse ostenditur.

Deo servire posse, gratia censeri debet non obvia, iis hæc datur, quos beatæ destinavit, æternitati Deus, cui si tam frigidè respondeas, periculum tibi facis, ne amittas; gratiam meretur perdere, qui non æstimat.

Suos mundus servos fumo, cælo Deus, remuneratur; quàm dispar præmium, tantum inter hujus, illúsque obsequii executionem debet esse intervallum. Pudendum

dum est, magis nos pro momentaneis sollicitos esse, quàm æternis!

Cui magis debita est sollicitudo, quàm virtuti? cui magis cura obnoxia, quam omnia curanti? neglexisse omnia, adeò vitium non est, ut laudabile esse possit; in virtutis verò studio negligentem extitisse, inexcusabile manet.

19. Augusti.

Rarus foret, qui defectus suos undequaque agnosceret, nisi Deus ei specialiter revelaret. S. Ignat. ap. Martin.

PEssima infirmi constitutio est, dum ægritudinem, quâ maximè laborat, minimè sentit. Ut gratulandum illi est, qui se ægrum sentit; ità vitia sua videre felicitatis est. Uterque curam anhelat, & spem habet emendationis.

Agnata nobis cæcitas est. Ut vultus ipse suos nemo videt, ita nec nævos; adeò subtilia nempe nunc vitia sunt, ut etiam melior oculus ea ægrè discernat à virtute.

Parum habet ingenii, qui errata sua excusare non sciat; artem hanc sinè magistro parvuli nôrunt; si excusari facilè non possint, possunt colorari; pulchra illis nomi-

na,

na, ſpecioſa pallia præfigere, operosùm non eſt.

Amor proprius in Orbe dominatum tenèt, ac tanto glaucomate oculos inficit, ut omnia, quæ propria ſunt, ſancta eſſe videantur; facilè corrigerentur vitia, ſed quia latent ignota, radices agunt.

20. Auguſti.

Animarum curatores nullâ re magis, quàm ſpiritu egent, ne, dum aliorum ſalutem curant, de ſua periclitentur. S. Ignat. ap. Ribad. l. 7. c. 17.

MUlti ovium paſtores non harum commoda, ſed lac earum, & lanam quærunt; non ut æternùm illæ, ſed temporaliter ipſi vivant. Quid à negotiatoribus, iſti, quid à mercenariis differant? diſcerne.

Qui ſervit altari, ut inde vivat, foret tolerabile; ſed ex altari faſtum alere, foveare vanitatem, nutrire ſcelera, hoc eſt Chriſti patrimonium prodigere, hoc eſt furari de altari.

Oves, non ſpiritum curare, eſt ſe perdere, & illas non lucrari. Paucæ fiunt converſiones, quia rari ſunt boni paſtores, quod ver-

verbis ædificant, manibus destruunt, plus scandali his præbent, quàm ædificationis.

Vocatio pro cura animarum vocari debet ad censuram; si quærendi victûs, accipiendi proventûs, fugiendi laboris causâ suscipitur, corpori providet, animam prodigit. Sic cæci fiunt duces cæcorum, & quò modò?

21. Augusti.

Nolo, & volo non habitant in hac domo. S. Ign. apud Bart. l. 3. n. 27.

IN templo pacis locum habere non possunt turbatores, quidquid quietem turbat, à voluntate venit; hæc ubi tenet imperium, perpes ibi bellum, nec spes ulla pacis, donec illa in ordinem dirigatur.

Primum inter relinquenda voluntas est; si sequeris hanc, Christum non assequêris; nullus nobis, nullus cætui religioso major hâc hostis; hæc si exulet, omnis superata est difficultas.

Nec velle quidquam, nec nolle, beatum facit; hoc assecutus curas omnes posuit. Supra metum est, nihil ei triste, durum nihil occurrere potest. Sic in cœlo beati vivunt, nihil appetunt, nihil refugiunt; en cœlum ante cœlum! Non

Non est certior ad cœlum via, quàm sine voluntate; hanc si ponis, omnis tibi actio, motus omnis in meritum abit. Quot passus, tot facis ad cœlum gradus. Non itur sic ad cœlum, sed curritur.

22. Augusti.

Si corpus valetudinis pratextu molestiam queritur, non est audiendum spe liberationis, sed mutatione æqualis molestiæ elidendum. S. Ignat. ap. Bart. l. 3. f. 218.

Astuta vulpes sensualitas, ut molestiam fugiat, simulat ægritudinem. Grave argumentum, si amor proprius ferat sententiam, exulabit mortificatio, vivet sensualitas, sed & vitia cum ea vivent.

Qui propter Deum reliquit omnia, nec valetudini adeò scrupulosè adhærebit, ut remota hujus pericula præ animæ damnis timeat, nisi virtutem emori, sensualitatem dominari velit.

Sanum te volo, non delicatum. Sunt tam innoxia mortificationem genera, ut nullum in iis valetudini sit periculum; à quibus nec molestiæ minùs, nec meriti expectare queas.

Qui cuticulam fovent, citiùs moriuntur;

tur; qui duris assuescunt, constantiùs durant; emollit artus indulgentia. Quot vitia, tot corporum sunt carnifices; quot virtutes, tot vitæ sunt custodes. Vis esse longævus? virtuti stude.

23. Augusti.

Cum sæcularibus præstat manè de rebus ad salutem pertinentibus, profana post meridiem tractare. S. Ignat. ap. Ribad.

AUrora non Musis tantùm, sed & spiritualibus amica, aurea hora, speciebus non distracta, non implexa negotiis, & admittit faciliùs, & retinet doctrinam tenaciùs. Prima primis jure tribuuntur.

Faciliùs manè contra naturã pugnatur, cum sola agendum est voluntate; post meridiem multiplicantur hostes, Bacchus & Ceres vitia evocant, acedia & concupiscentia classicum intonant. Quis Hercules contra tot?

Quanta matutinum inter, & pomeridianum tempus hominis mutatio! manè agnus, meridie leo; manè pietatem, nunc totus martem spirat; scilicet passionibus robur à cibo venit, recalcitrat asinus opimè saginatus.

Præ-

Præparandus manè est animus, & contra tela omnia muniendus ; ne quæ per subsequum diem pestis afflet, præservativa impediat medicina. Si manè disponas aciem, non est, quod hostem timeas.

24. Augusti.

Propter aliquem abusum, nihil, quod ex se malum non sit, est abolendum: aliàs magnis divinæ gloriæ incrementis via precluderetur. S. Ign. ap. Gonzal. de Cam. in M. S.

NIhil tam sanctum, quo malus malè uti non possit, vel casu, vel vitio; ut nec flos ullus tam innocens, ex quo araneus non sugat venenum; nec floris tamen araneus, nec rei pretium abusus tollit.

Innocuæ sunt creaturæ, quas reatûs incusamus; non illæ, sed sequior earum usus nos in delicta præcipitat. Et vinum bonum est, & gladius, licèt hoc in alienam, illo tuam in perniciem abuti possis.

Si mali omnis occasionem tolli quis velit, tollenda erunt omnia, cùm omnibus partem in utramq; uti, vel abuti possimus. Quid divinis litteris magìs sacrum? & quot ex illis malè intellectis natæ sunt hæreses?

Ni-

Nihil omni ex parte perfectum. Creata omnia sunt nævis obnoxia ; illa censenda sunt optima , quæ pauciſſimis. Etiam sol facit umbras , non ideo proscribendus à publico.

25. Augusti.

Plùs ad animarum curam facit uncia sanctitatis cum præclara sanitate corporis , quàm prælara sanctitas cum uncia sanitatis. S. Ign. ap. Lyræ. f. 353.

MAgnum Ascetam inter, & Apostolum discrimen intercedit : ille licèt ægrotus muneris sui partes explet omnes, iste nec attingit. Totum illius officium ad intra, hujus ad extra fertur.

Quod gladius sinè capulo, hoc zelus est absque viribus, neuter, quod vult, efficit. Magnus animus sine corporis valetudine corpus est sinè manu; pondus facit, munus non exercet.

Sanitas te conservat, sed aliis prodest ; ùt non sibi, sed aliis vivit ; sic non sibi , sed aliis suam fovet sanitatem , sinè qua magnus licèt sanctus foret , nullus erit Apostolus.

Ità tamen curanda sanitas, ne officiat san-

ctitati. Sæpe nihil magis officit sanctitati, quàm nimia cura sanitatis, cujus prætextu vivunt vitia, palliantur passiones. Hæc sa nitas non adjuvat zelum, sed pessumdat.

26. Augusti.

Posuítne te Deus in mundo, ut hìc viveres, quasi cœlum, & infernus non esset? vel salvari res est tam facilis, ut eam ne curare quidem sit opus? S. Ignat. epist. ad Eccles.

HEu! quàm crassâ æternorum incuriâ laborat Orbis, vivitur ut vivatur; quasi nunquam morituri, futurorum im memores vivimus, quasi nullus esset vel vindex scelerum, vel meritorum remunerator.

Scelera nempe ità lumen rationis elidunt, & ità densâ caligine passio intellectum obruit, ut de æternis cogitare vel tædeat maximè, vel minimè prosit, sensum omnem elidente acediâ.

Catholicos nos dicimus nomine, moribus negamus, atheis, imò animalibus propiores, quia toti in sensu, cùm os homini sublime natura dederit, cœlúmque tueri jusserit, ut quò, quáve tendendum sit, edoceret.

O

O quàm serò sapient isti! Ergo erravimus! sed pœnitentia sera vix est vera; longioris votum est vitæ, non melioris; ità vive, ne te pœniteat; sic age, ut nec mori timeas, nec vivere erubescas.

27. Augusti.

Si nunc moriendum foret, quid nobis fieret? quam rationem opum, gratiarum tot, & sociorum per te perituorum dabis? S. S. Ignat. ad eund.

INfelix, qui tum primùm inire rationes cogitat, cùm abeundum est. Mors infestat ex insidiis, repentè obruet; Deus, qui hodie veniam offert, crastinum non promisit.

Talis ducenda est vita, quæ perpetua sit ad mortem præparatio, nihil eò differendum, ubi conatus nihil proficiunt. Ignota nobis suprema est vitæ hora, ut nullâ non stemus accincti.

Mortem tanquam rem procul à nobis dissitam cogitamus, cùm à tergo insistat, & sinè muneris, sinè ætatis discrimine, nihil minùs opinantem tollat è medio.

Qui bene vult mori, nunc mori incipiat, omnia quotidie ad mortem disponat; ubi

fata instant, vires, sensus, omnia deficiunt, & nihil minùs sit, quàm quod eò distulisti. Justâ Dei pœnâ, ut qui noluit, dum posset, non possit, dum vellet.

28. Augusti.

Jam metum omnem tollit dæmon, ne cadas, nunc auget, ut cedas, utrumque in perniciem tuam. S. Ignat. apud Nolar.

VErsipellis artifex! dum tentat, delicti magnitudinem auget, ut in desperationem inducat. Sic mille artium magister nobis illudit.

Innocentia hactenus acta solatii tibi materia sit, non præfidentiæ; nullus non innocens fuit, qui nunc ardet in inferno; non esse, sed mansisse innocentem, metu absolvit.

Novit tentator stygius, animæ pretium, pro qua tam sollicitus est obtinenda. Nisi pretiosa foret, orexim illi non moveret. Pudeat nos socordiæ nostræ, dum minùs pro salvanda, quàm ille perdenda anima, solliciti sumus.

Quò thesaurus major, eò potior sit custodia. Æterna est anima, pro qua cœlum pugnat, & infernus; timor ei, ac præfiden-

tia

tia æquo gradu officiunt; media tenenda est via, ut nec spes metum excludat, nec metus à spe discedat.

29. Augusti.

Nunquam contradicere debes cuiquam, sive cum ratione, sive contra: semper verò complecti, quod aliis probatur. S. Ign. ap. Lyræ in anteloq.

FLamma augetur irritata flabris, tantóque consurgit altiùs, quantò hæc vehementiora urserint, non sopienda, nisi aura omnis vehementior arceatur. Taciturnitate tuâ os æmuli sigillabis.

Opinio tua te pungit, non dens alienus: nemo læditur, nisi à se ipso; si vulnus non admittas, omnes omnium ictus elisisti. Ut in molli frangitur impetus; ità si parato excipias animo, conatus omnes infregisti.

Imbellis animi est ad omnem sensum commoveri; fortior dissimulare novit, aut in usum convertere; si enim lædatur, aut probationem virtutis credit, aut pœnam delicti patitur.

Facillimùm est à pessimis malè audire; nemo illis credit, nisi tu, multùm exculpando, umbram tibi facies. Tace, vicisti.

Diſſidiis nihil proficitur, charitas lædituꝛ, & veritas non eluceſcit.

30. Auguſti.

Quod in libris infectum eſt veneno, longiſſimè ſerpit, nisi principiis occurratur. S. Ignat. ap. Ribad. l. 5. c. 10.

INfelix calamus! tot calamitatum author. Illud inter mala tua peſſimum, quòd non ſit medicabile. Littera ſcripta manet, tranſit per manus, ſæcula integra inficit, omnibus, & ſemper, nocet.

Venena cætera vires tandem amittunt, illa, quæ libris committuntur aconita, ſemper durant, in diſtans agunt, & ad locum, quò ſcripti author non poteſt, malum penetrat.

Tuo tu calamo legem ſtatue: nihil ut umbris dignum inde promanet, quo innocens oculus offendi poſſit, vel, ut infauſtos calami alieni abortus partu meliori confundas. Scribe, quæ legentibus proſint.

Venena auro illita nihilominus nocent. Eruditio inter ſordes veneno infectas quæſita doctiorem te facit, ſed & ſceleſtum. Non leguntur hæc impunè, nolentibus pariter ſe affricat malum. Fugiſſe, viciſſe eſt.

31. Augusti.

Commodis suis implicitos non convenit de animæ rebus statim adoriri, quod foret hamum sinè esca, & illiciis jactare. S. Ignat. apud Bartol. l. 4. n. 20.

Lignum non illico flammam concipit, siccatur primùm, suis dein calet gradibus, ità per intervalla disponitur, ut ignem ultro appetat, cui viribus priùs omnibus restiterat: ità blandè inducendus ad ea animus, à quibus naturâ horret.

De nullius conversione dubitandum; quidlibet fieri potest è quolibet, modò aptas facere noveris dispositiones. Hæc summa rei est, ut amicos tractandi modus te non destituat.

Repentinæ mutationes Dei opus sunt, non hominum; nos sensim, & per gradus operari ars docet, & natura: tenta; suaviter, quasi per cuniculos, amicè vaniculum aggredere, brevì à terrenis ad æternorum amorem trahes.

Si primus non succedat ictus, longanimitate opus erit, importunitatem cave; quem gutta sensim absque tumultu stillans cavabit lapidem, impetus fregisset.

I. Septembis.

Viri eximiâ virtute, licèt tenui adjuvandis proximos doctrinâ, suis eloquenter concionantur, vel aspectu sui validiùs persuadent probitatem, quàm possent dicendi peritiâ quàm maximè instructi. S. Ignat. apud Bart. f. 388.

ALia verbositas est, alia animorum regina eloquentia. Sermocinatores innumeri, pauci animorum Domini, quia multi, quæ dicenda sunt, curant, quæ agenda sint, minùs solliciti.

Verba volant, cor non feriunt, nisi pondus sumant à virtute; hanc aliis suadere qui volet, sibi priùs persuadeat, aliàs inefficax cadet oratio; murmur, & strepitum ciebit, non animos.

Ludicra sunt vulgi judicia! optimos dicas prædicat concionatores, qui verbosissimi, quibus promptum semper affluit orationis flumen, quasi verius à plausu hominum, non animorum motu, de illis statuendum foret judicium.

Faciliùs est morum sanctitate depravatos populi mores emendare, quàm si è mille cathedris virtutem doceas, Proniùs est

est errare naturam, quàm populum à majorum moribus discedere.

2. Septembris.

Si parùm domiti naturæ impetus verba, factáve à nobis frequenter excutiant ab eo, quod profitemur, aliena; tàm diu sunt durius castigandi, dum nobis obtemperent. S. Ignat. vitæ l. 3. f 218.

TAm diu catenis illigandæ sunt feræ, dum plenè miteſcant, ut nocere non ampliùs sciant: par animales appetitus compescat rigor, plura secus tibi, & aliis damna inferent.

Quàm diu vivimus, hostes domi alimus; sopitus est, non extinctus ignis, qui latet sub cinere, modicâ opus est stupâ, & & in flammam erumpens luculentum se ostendet.

Facilè ad naturam redeunt, quæ cicures videbantur feræ; plùs tamen his, quàm innatis affectibus fidei; citiùs hi, etiam ubi mortificati credebantur, furorem sumunt, & certiùs nocent.

Qui tutus esse vult à vulnere, in armis vivat, nec noctu his, nec die careat, pugil perpetuus; nec enim hostes nobis in-

festi esse cessabunt, donec iis mors pacem indixerit in sepulchro.

3. Septembris.

Ab omnibus opta cognosci, tam intus, quàm foris. S. Ignat. apud Lyr. in antel.

HOmo publico natus, in publici utilitatem vocatus, latere non debet; hoc enim esset, lumen modio sepelire. Quid prodesset aurum, si montium cavernis abditum hæreret incognitum?

Ignis, ubicunque est, luce, & calore se prodit, prodesse petit omnibus, se ultrò offert, Imago sit Apostoli, ut, ubicunque agit, exempli primùm luce, tum doctrinæ sanctioris calore innotescat.

Lucifugæ, qui oculos, & notitiam fugiunt, plerumque sunt filii tenebrarum, rarò tales optimi. Sol aspici non veretur, imò diem accendit, ut aspiciatur. Semper in publico se theatro spectabilem facit.

4. Septembris.

Ne sis communis omnibus, neque familiaris; sed consule spiritum, ad quem te magis impellat; S. Ign. ibid.

No-

NOtus cunctis esse potes, amicus paucioribus; familiaris esto nemini. Contemnitur ex facili, & vilescit, quod obvium, & quotidianum. Major â longinquo reverentia.

Liber lectione exhaustus seponitur. Semper aliquid reserva, quod alius à te sperare possit, nec totum te sinas exhauriri. Sint semper aliqua post siparium, quæ sui desiderium excitare possint.

Oracula sumuntur ex abdito, major talibus fides. Quæ omnibus prostant, semper ad manum, minùs pretiosa censentur; frequentia minuit pretium, auget raritas.

Ità cum proximo, sicut cum igne versandum; nec nimiùm propè, nec nimiùm remotè consistendum; si proximus accedas, comburêris, si procul recedas, frigebis.

5. Septembris.

Desidera stultus haberi ab omnibus, ut sapiens habearis à Deo. S. Ignat. ap. Lyr. ib.

ALia judicia Dei, alia hominum, & ea frequentissimè prorsus opposita! homines ex iis, quæ sub oculos cadunt, judicant; Deus autem intuetur cor, & quæ stulta sunt mundi, præeligit.

Parum interest, quid de te homines sentiant. Horum discursus, & sensa perinde habenda, ac stridores culicum, aut ùt ranarum è suo cœno coaxationes cœlum curat, ob quas cursum non mutat.

Quòd lutum porco charius sit, quàm rosæ, quòd sordes præ margaritis æstimet: nec harum pretio, nec illarum decori quidpiam detrahit. Non quid, sed quis te judicet, cura.

Talis es, tantúsque manebis, qualis, & quantus coram Deo es. Hujus judicio tua vel stabit, vel cadet causa, cujus approbatione habitâ, Orbis universi sanus securus ride.

6. Septembris.

Optimus parendi modus est, ut obediendi alacritate, nec imperii summi necessitatem, nec mandati denunciationem expectes. S. Ignat. in Testam.

Invitùm parere, pigrorum est animalium, quæ stimulis egent, parum proficientibus, nisi post verba, etiam verberibus urgeantur. Nobilior indoles faciliùs movetur.

Ut qui citò dat, bis dedisse, ità, qui citò obedit, bis obediviſſe censendus, gemi-

num

num olim præmium exspectet; unam obedientia, promptitudo alteram ejus vertici coronam imponet.

Amor, & mora litteris nihil, re plurimùm differunt; ubi enim mora, ibi nec imperantis amor est, nec imperati. Nescit amor moras; ubi amatur, sinè difficultate paretur.

Nec sentitur onus, quod libenter fertur; pertinacia est, quæ sibi, & aliis gravis, tædium movet. Dura nempe severiores ictus exspectant, ut statione, vel sententiâ suâ moveantur.

7. Septembris.

Errores quàmprimùm tollere debet Superior, ne si semel, iterúmve conniveat, mos in legem transeat. S. Ignat. apud Bart.

HErbæ noxiæ, nisi statim tollantur, illico se propagant; mala celeriùs multiplicantur; impunitas licentiam parit; dum parcit reo, innocentibus nocet; sicut qui contagionem, cùm potest, non tollit.

Vis exempli pessima est in malis. Natura hominum aliunde in malum proclivis non est, quòd his irritetur, sponte suâ rapitur in omne nefas. Ubi deest rigor, quod libet, licere credit.

Nemo solus vult esse malus ; socium quærit, quem ut inveniat non unum, nullâ opus adhortatione ; sufficit exemplum, quod si fuerit impunitum, omni oratione potentiùs persuadet sequelam.

In extraneis faciliùs invenietur benefactor, quàm corrector; animadversio solùm erga charos fit, liberalitas etiam ad inimicos se extendit, castigatio solùm ad amicos ; quos amas, nihil in iis vitii tolera.

8. Septembris.

Vince te ipsum : si enim te viceris, splendidiorem in cœlo, quàm alii, qui mitiori sunt ingenio, coronam adipiscêris. S. Ignat. ad Edmund. Auger.

AUt vincendum, aut succumbendum tibi est ; potentior tibi hostis es, quàm Xerxis exercitus ; tu difficilior es expugnatu quovis præsidio. Quot expugnatores urbium se vincere nesciverunt?

Quantò nobilior mens est saxo, eò hanc præ illo expugnare glorioſiùs ; aliena victoria hostium domat corpora, non animos : victoria verò sui ipsum superat mundo, cœlóque superiorem animum.

Naturam non accusa ; si alia est, quàm opta-

optares, te ipsum argue ; cur non meliorem efformas ? Non poterat fieri, ut primùm effieeres, potest nunc, ut reficias. Nulla est tam pervicax, quæ correctionem recuset.

Feliciùs te crederes, si naturam eligere potuisses; potes nunc longè securiùs; nondum vitam expertus, optione hac fortuitò egisses; nunc post experientiam prudentior erit delectus, ubi te probásti ; sagacius consilium est post periculum.

9. Septembris.

Asperitas in eos qui imbecillæ virtutis sunt, minimè adhibenda, ne mali multò plùs nascitura inde diffidentia pariat, quàm exspectari possit de reprehensione acerba boni. S. Ignat. apud Bart. l. 3. n. 36.

COrrectionis finis emendatio sit, ultra hanc qui premit, non est pater ; quid correctio juvat, quæ obstinationi potiùs, quàm emendationi servit ? correctionis importunitas, pejores facit.

Quæ imbecilla sunt, nec firmam adhuc radicem egerunt, asperior aura facilè evertit : seri dein solis calores, seræ tepidi Zephyri blanditiæ non revocabunt ad virorem.

Quis

Quis adeò impudens? ut Judicis benignitate non moveatur, dum pœnæ, quam merebatur, loco, clementiam experitur: errori dolorem & ipse substituet; quid pluribus opus?

Mansuetudine correctionis rei amorem Judex promeretur. fiet proinde, ut erroris vitet, ne amato displiceat. Hac nulla certior est vitiorum extirpatio.

10. Septembris.

Contra quotidianas dæmonis insidias pares, quotidianas statis horis agere vigilias, in se descendere, dicta omnia, facta, & cogitatus coram Deo diligentissimè reputare. S. Iguat. apud Lyr. l. 2, c. 6.

QUotidianâ olitoris diligentiâ eget hortus, ut in suo decore conservetur: si non observentur in dies areolæ, lolia brevi pro floribus, zizania pro fructibus alent.

Non satis est, bonum semen seminâsse, nisi inutiles extirpentur herbæ; prima spes omnis in herba interibit, suffocabitur à noxiis. Labor sinè diligentia parum prodest.

Hostis noster semper vigilat in mala nostra indefessus, id maximè tempus observat, quo minimè observatur. Clanculùm

sua spargit semina, ut non pateant, nisi oculo valde perspicaci. Quas vigilia tanta vigilias petit?

Si dormis, malè thesaurum tibi creditum custodis; innocentia tua gemma est, cui orcus insidiatur. Nullis parcendum est vigiliis, ut servetur; hac tu monetâ cœlum emes, quò nulla securior viâ lacteâ.

11. Septembris.

Si quid in crastinum per te sponsum sit, id hodierno potiùs persolvatur, quàm differatur. S. Ignat. apud Orlandin. l. 3. c. 49.

Libertate nihil pretiosius; quàm diu debes, ligatus es, grave hoc vinculum, & captivitate corporis nihil minùs molestum. Nou promitte proinde, nisi ea, quæ celerrimè præstare possis.

Facilis, & justô liberalior promissio exiguæ prudentiæ partus est. Periculo fidem exponit, qui non considerat, quanta promissi executioni obstare possint, ne, si hæc deficiat, vacillet illa.

Celer executio geminat favorem, firmat fidem, liberat sollicitudine, danti melior, & accipienti: huic, ut conceptâ spe, illi, ut contractâ obligatione celeriùs absolvatur.

Si

Si homini promissa cadunt in debitum, tantò ampliùs crescit obligatio, quantò dignior est, cui quidpiam spopondisti. Displicet Deo tarda, & inconsulta promissio, vel omitte vota, vel imple.

12. Septembris.

Si quis in populari commercio Principes, & Magistratus particulatim reprehendit, plus damni & scandali generat, quàm ponat remedii. S. Ignat. apud Ribad. l. 5.

POpulus naturâ suâ Magistratibus parum est affectus, suspicionibus agitur, quibus si oleum affundas, quid, nisi commune incendium timere possis? quod populari nullum periculosius, nec oritur ullum faciliùs, nec ullum ægriùs sopitur.

Sputum, quod in cœlum jacitur, recidit in faciem jacientis. Inconsulta in eos mittitur censura, quorum, ùt longæ sunt ad audiendum aures, ità graves ad feriendum manus. Potentes ægrè se tangi sinunt impunè.

Quis te Judicem constituit? Sutor malè ultra crepidam fert sententiam. Sæpe judicamus, quæ nescimus. In edito positi plura vident: si nos rerum causas cognoscere-

sceremus, quantùm judicia nostra damnaremus!

Calumniari in nullum licet, minimè in Magistratus. Reverentia illis debetur, & oblequium. Dei vices in terris agunt. Statuta,& leges,non ùt ab iis, sed ùt à Deo latæ,sunt habendæ.

13. Septembris.

Agenda prævidere, & acta in censuram vocare, sunt fidissimæ rectè agendi regulæ.
S.Ignat.apud Martinium.

BIfrons Janus rectè agendi, ùt symbolum tibi est, ità sit & regula; futura prævidere, præterita revidere ut consuescas; ex præteritis futura designentur,& ex futuris præterita emendentur.

Feciſſe non est satìs. Quomodo quid factum sit? revocandum ad examen. Nullus certior est magister usu. Idea facilitat opus, quod præ manibus habes,illam si respicis, examussi rem conficies.

Impetus nihil rectè facit, & si quid aptè videtur factum, casus est,non prudentia; properare, & errare affinia sunt. Nemo tam sapiens,qui ante opus prævidere modum,media,finem,non debeat.

Nec

Nec te sinè censura sine vivere; vide vitam hactenus actam, diem vide præteritum, videbis, unde melior fias; si bene actus est? adde plura bona: si secus? futuris compensa.

14. Septembris.

Qui se errâsse comperit, non cadat animo: etiam errores prosunt ad sanitatem. S. Ignat. apud P. Lud. de Cam.

NOn unus Antæus post lapsum surrexit â terra fortior; sæpe accidit, ut ossa fracta, si rite coalescant, & solidentur, iis firmiora sint, quæ integra semper manserunt. Sic fit è veneno medicina.

Bonus & utilis Magister est, error: futuros dedocet. Semel qui nocuit, semper prodest, uno à multis malis præservat. Cautum reddit, ut semel in glacie lapsus, firmiorem post hac pedem figat.

Si nunquam errâssemus, nesciremus, quid simus? quid possimus? Error fragilitatis est speculum; facit, ut, qui profundiùs ruituri fueramus, post hac simus oculati. Melior est humilis pœnitens, quàm superbus innocens.

Conscientia delicti justificationem peri-

pent

perit publicano, parit omnibus humilitatem, parit ad Deum refugium, facit, ut superabundet gratia, ubi abundavit delictum.

15. Septembris.

Nec corporis, nec passionum mortificatio differenda est in senium, quod & incertum est, & severitatem non patitur. S. Ignat. apud Nolarci.

QUod juvenis negligit, desperet senex; nec artem, nec virtutem capularis imbibet, quam vix tenui labro impubes mutavit. Lassæ vires, fracta valetudo, corpus exhaustum, nec robur labori, nec spiritus diligentiæ, suppeditabunt.

Si sponte suâ subsidit incendium, serotina est aquarum affusio: primæ flammæ occurrendum erat. Quod in hyeme, seu corporis, seu ætatis, non caleas, laus tua non est, sed naturæ. Amurca flammam non alit, nisi pertenuem, & obscuram.

Ubi te deseruerint vitia, ubi morbis confectum corpus petulantiam posuerit, minùs est, quod castiges. Nolle peccare, cùm non ampliùs possis, & velle bona præ-

præstare, quæ non ampliùs vales?, cujus est meriti? Extrema vini fæces sunt.

Si longum passio totâ vitâ tenuit imperium, non ampliùs idem ponet in senio; rumpetur citiùs, quàm deserat homo, qui teneris ab annis vitio assuevit. Ut vixit juvenis, ità vivet senior, ità morietur.

16. Septembris.

Estò, & homines, & rationes omnes suadeant, nulli negotio dandum est initium, nisi priùs Deus per preces consulatur. S. Ignat. apud Lyræ.

AB origine pendet finis; dimidium facti, qui bene cæpit habet; bonum sperari principium non potest, nisi ab eo ducatur, qui rerum omnium principium est, & finis.

Si incipis, perfectè incipe; affines enim suis initiis plerúmque sunt fines, ab aurora reliquæ diei statum præsagire quotidianum est. Sic initia futurorum sunt prognostica, ùt flores fructuum.

Ubi cæcus cæcum ducit, ambo eunt in ruinam; humanæ rationes cæcæ sunt, quis sua iis tutè confidat? Nemo suâ basi stat firmior,

mior, qui humano consilio ducitur, nititur super arundine; cadet cum labili.

Si prima in suscipiendis negotiis cura Deus est, tum omnia ibunt secunda; ubi ab hac pharo navis deviat, naufragium exspectet. Portum, quem designabat, non attinget.

17. Septembris.

Meditatio, & cum Deo communicatio liberæ naturæ vires stringit, & impetus frænat. S. Ignat. apud Lyræ.

DOmantur leones, mitescunt tygrides, ferrum flectitur; nulla vis est, quæ domare hominem possit. Ars in hoc, & natura deficit. Orationi hæc debetur gloria, quòd sit animorum domina, sola hos, quò vult, inflectit.

Ut à rudi, ac informi gleba fornaci injecta purissimum effluit aurum, ùt è terrea mole ignis beneficio crystallus coquitur: sic terrenus, & animalis homo per orationem depuratus in alium commutatur.

Si pauci sunt mortificati, pauci Dei spiritu pleni, non divinæ adscribendum est illiberalitati; sed quia pauci sunt, divinæ per orationem conjunctionis amantes.

Ora-

Oratio schola est, inde hauritur spiritus, corrigitur natura, inolita frangitur consuetudo, accenditur tepor, discitur virtus. Utinam multos numeret discipulos!

18. Septembris.

Si vis in amore proficere, loquere de amore. Ut enim flammam ventus, sic pia colloquia suscitant charitatem. S. Ignat. Epist. 15. April. 1543. datâ.

DE dilecto nunquam satìs cogitatur, nec dicitur: qui tacet, non amat; de eo, qui diligitur, nec materia loquendi deest, nec voluntas. Hæc eloquentia non arte docetur, sed naturâ.

Ex abundantia cordis os loquitur. Quàm parum ignis in sinu abscondi, aut odor cinnami celari, tam parum amor recondi potest. Ut ille calore, iste odore, sic affectus per os se exerit.

Amor omnium quidem artium magister est, maximè tamen eloquentiæ; mutus esse nescit, bene conscius, ùt ignem sinè folle facilè in foco, sic absque mutua renovatione affectus in corde frigescere.

Loquere juvenis, ut noscam te? quem vitrum liquorem contineat, odore prodit,

Pro-

Profanus, & pius sermo statuunt de tuo, qualis sit, animo sententiam.

19. Septembris.

Volenti nihil difficilè, maximè ex iis, quæ fieri debent ex amore. S. Ignat. ad Garz.

INvenies in quolibet vitæ genere delicias, si velis; quidquid enim amaroris rebus inesse dicimus, nos facimus; innocentes illæ, naturáque suâ faciles forent, nisi fuga, & aversio nostra faceret acerbas.

In laboris condimentum natura nobis amorem dedit. Quantum beneficium! cum hoc nihil tam durum erit, in quo non amans animus solatium inveniat.

Ut nobilis artifex in omni materia suam artem exercere novit; ità quamcunque fortunam accipiat amans, eâ in sua commoda uti sciet. Nulla ei poterit minùs grata esse, amando faciet gratissimam.

Discmus amare, nec supererit, quod formidemus. Hac arte animus ad difficilia se præparet. Sinè suspicione Magiæ invulnerabilis amando fies. Nec facilius ullum, neque certius laboris, & difficilium remedium.

20. Septembris.

Qui Deum habet, cùm hic sinè sua voluntate perdi non possit, nihil ei triste accidere potest: quidquid enim doloris est, oritur ex amisso, vel amittendo bono. S. Ignat. in Epist. 20. Janu. 1554. data.

UT tenebras non metuit, qui solem habet ad nutum, ità nihil est mali, formidare quod possit, qui bonum illud habet, in quo sunt omnia bona, quod excludit omne malum.

Una cura sit thesauri hujus custodia, sinè quo nihil sunt omnia, nisi vel calamitas, vel somnia. Hunc servando, nihil est, quod perdere possimus, nihil, quod desiderare.

In hoc felicissimi, quòd thesaurum hunc eripere nemo nobis possit, nisi conscijs, nisi volentibus; illius fœdera æterna sunt, perpetua possessio, nisi nos ultrò eo velimus abdicare.

Stultus mercator, qui gemmam pro vitro, aurum commutat pro scoria, & quâ dignus amentiâ, qui bonum infinitum pro voluptatis gutta, bonum omne, pro nihilo, prodigit? Heu! quàm multi sunt ità fatui!

21. &

21. Septembris.

Dum illis servio, qui sunt servi Domini mei, tenseo me Domino ipsi obsequium præstare. S. Ignat. Epist. ad Joan. Avila.

UT contumelia, sic & gratia servo præstita redundat in dominum. Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Noſtri magnus ille Dominus non eget obsequii; bonitas illius facit, ut servo præstitum, tanquam sibi factum, acceptet.

Dei servorum persecutores rarò diu felices, illos; qui tangit, pupillam lædit Domini, dicentis: Nolite tangere Christos meos. Horum injuriam non diu finit impunitam.

Amici Dei sunt; vel hoc nomine, quantùm possint, ostendunt. Sedebunt futuri Judices, in eos laturi sententiam, à quibus nunc contemptum patiuntur. Fugerunt illi honores, quos fortè ampliores consecuti fuissent, vel ideo majoribus digni.

Qui divino addictos servitio vilipendunt, in quo peccant, justo Dei judicio punientur, ut eorum ope, dum eâ egerent maximè, in agone destituantur.

22. Septembris.

Plurimas nobis Deus gratias ultrò largiretur, nisi perversa nostra voluntas liberalitati ejus obicem poneret. S. Ignat. apud Bart.

QUem solis radii non illuminant, sibi imputet; cur lucem arcet repagulis? Liberalior creaturâ Creator est, promptior in beneficia, quàm sol in luminis dispensatione. Incuriâ, vel malitiâ nostrâ pauperes manemus.

Divinarum capax gratiarum non est animus, qui terrenis plenus est cupiditatibus. Ut vas aquâ plenum alium liquorem non recipit, ità valedicendum est vanis, ut spiritualibus fruamur solatiis.

Quantùm nobis officimus! totius mundi contra nos conatus tantùm obesse nequit, quantùm ipsi nocemus. Gratiis enim Divinis nemo nos, præter nos, privare potest.

Paratior Deus est dare beneficia, quàm nos accipere. Bono summo summè sui communicativo injuriam, & vim inferimus, dum promanantia ubertim ejus dona inhumani rejicimus. Cur nos sic odimus?

23. Septembris.

Dei imaginis, quam pretioso sanguine unigeniti Filii sui redemit, utilitate, emolumentóque gaudere communi omnes obligatione tenemur. S. Ignat. Epist. ad Hispan.

MAlè affecti oculi indicium est: proximi splendore, & alienâ luce perstringi; Noctuæ syderis lucem non ferunt, quâ gaudent aquilæ. Qui boni sunt, aliorum bonis gratulantur.

Quid tibi decedit boni, dum alteri aliquid accedit. Infinita est Dei liberalitas, inexhaustus thesaurus, dum alteri largitur etiam liberaliter, non minùs tibi dare poterit, si mereri scias.

Frater tuus est, qui abundat; ejusdem corporis membrum est, cui res ad votum fluunt. Nulli boni quidquam accedit, quin etiam in te redundet: ùt particeps fis boni, fis etiam solatii.

Dominus est, qui dona largitur, quæ pro arbitrii sui, non placiti nostri nutu distribuit: nobis, qui servi inutiles sumus, obsequii solius gloria, & necessitas est relicta. Quid prætendis? & quo jure?

24. Septembris.

Ut rerum maximarum tractatio è vobis fluat, vilissima præmittenda sunt opera, ut sic pro magnis ejus auxilium impletur, qui humilibus dat gratiam. S. Ignat. apud Ribaden.

UT à parvis natura gressum promovet ad majora, sic etiam gratiæ à minimis ad sublimiores fit progressus. Ut nemo repentè maximus, ità nec rebus gerendis aptissimus est.

Sæpe decipimur, & in medio conatu successus nos destituit, quia majora viribus audemus. In parvis danda priùs sunt experimenta virtutis, quàm grandibus adjiciatur animus, ne hic imperfecti operis author audiatur.

Qui recusat vilibus occupari, frustra gradum molitur ad majora; licèt enim his per trochleas, seu per saltum admoveatur, desperet successum, solis humilibus à Gratia præparatum.

Superbi omnium superborum patris tentatio est; appetere magna, imò summa; ideo cum eodem labuntur ad infima, justo Dei judicio, ut, qui volare voluerunt, etiam ambulare dediscant. 25. Sep-

25. Septembris.

Summa Dei bonitas, immensus amor, charitásque paterna ad perfectionem nobis sponte largiendam, quàm nos ad eam vestigandam, paratior est. S. Ignat. Epist. ad Hispan.

FOns perpete venâ ubertim manans Deus est, paupertatem nostram socordiæ debemus, quòd ad fontem hunc non accedamus. Gaudet ille benefacere: cùm enim munificus est, Deum se exhibet.

Parsimonia nostra magna Deo est injuria: vel enim pauperem credimus, vel illiberalem, utrumque cogitare, blasphemia sit. Nec voluntas illi deest, nec facultas. Qui minùs accipit, minùs desiderat.

Beneficia Dei vincula sunt, qui hæc accipit, amittit libertatem; felix captivitas, quâ Deo adhæremus! nos illi, & illum nobis per imitationem jungimus, tantò perfectiores, quantò Christi moribus propiores.

Virtutis basis processus est: nemo in bono stare potest; vel progredi debet, vel regreditur. Semper nitendum est adversùs torrentem, ne undæ, fluctuúmq; vi repulsi sorbeamur.

26. Septembris.

Ex tepore pariter, & fervore nimio morbi animi proficiscuntur. S. Ignat. in Epist. ad Hispan.

QUæ humanæ vitæ, ut sana sit, eadem sanæ mentis, ut meritoria sit, debet esse constitutio; illam humorum, hanc affectuum temperies conservat. Seu calor, seu frigus excedat, actum est de utraque.

Quid interest, quis tibi meritum suffuretur, fervor, an tepor nimius? Æquilibrium est, quod à casu funambulum præservat: magis ardua virtutis est semita; in hac absque æquipondio ruinam, non progressum, meditaris.

Ut jaculator centrum, ità virtutis sectator medium semper respicere debet, ne à præmio aberret, à quo seu per excessum, seu per defectum abeas, par vitium est, errâsti.

Inter hostes consistit virtus, quorum quilibet satis est ad iter impediendum; & acedia, & nimia sui fiducia sterni debet, ut per eorum cadavera, tanquam per gradus ad virtutis apicem veniamus. Sic sol per monstra progreditur.

27. Septembris.

Rarum est bonorum Operariorum genus, qui quærant, non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi. S. Ignat. ibid.

NUlla fiunt animarum lucra, dum ad propria vacatur assiduè. Dei obsequium negligitur, dum domestica commoda quæruntur. Negotiator, & pastor; propola, & ovium custos, malè cohærent.

Animas quærere plenum arduitatis est opus. Totum hominem requirit, qui, si dividatur in temporalia, & his malè, & illis pessimè consuletur. Unus homo, unius sit negotii.

Miracula facerent animarum curatores, mundum in maligno positum everterent, si cum Archimede pedem extra mundum scirent figere. Sic oves, non se, pascerent, illas, non lac, & lanam appeterent.

Si animas Deus repetat è manibus Curionum, heu! quàm durum his judicium fiet: quælibet plùs appendit, quàm thesaurus totius mundi; quælibet pretium est sanguinis Christi.

28. Septembris.

Sæpe usuvenit aliorum operas nostri gratiâ impediri, cùm nostras aliis præstare deberemus. S. Ignat. ibid.

NEmo solus vult esse malus, suam vitia contagionem habent, afflant aliis venenum; quasi verò levaretur malo, qui alium impedit fieri bonum. Suæ quemque puderet malitiæ, nisi socios haberet.

Diabolicæ hoc invidiæ magisterium est, illam, quâ carent, aliis virtutem invidere. Duplex malum! bona, quæ agi per se possent, omittere, & quæ alii vellent, impedire; hoc est aliena infelicitate fieri velle felicem.

Innocentiora sunt illa vitia, quæ alis quam commodi speciem præferunt; istud prorsus exitiale, quod nec sibi vult esse bene, nec alteri, neutri bonum, utrique pessimum.

Bona impedire semper est malum, in eo pessimum, cujus munus foret bona docere. Si hostis opes tollat, damnum videtur tolerabilius; at si eas debitor imminuat, duplex vulnus est; crumenæ unum, animi alterum.

29. Septembris.

Unius casus cæteris est terrori, & multorum fervori in via virtutis teporem aspergit.
S. Ignat. Epist. ad Hispan.

VÆ! homini illi, per quem scandalum venit, tot mortes subire dignus, quot ii sunt, quibus pravo exemplo spiritum minuit. Majorum peccata, sunt plurium in minoribus irritamenta.

Potior mali, quàm boni exempli vis est; illud naturam habet adjutricem. Rarus Hercules contra hos duos. Plùs unâ horâ malleus destruere potest, quàm centum horis instaurare.

Virorum perfectionis studio addictorum exempla, si prava sint, magìs nocent; talia non solùm docent malum, sed & erubescentiam adimunt, peccandíque fiduciam creant: bene secum agi credunt, dum eos sequuntur, qui dati sunt in normam gregis.

Si aquarum fontes, unde potant universi, veneno corrumpantur, quanta in populo strages! par animarum timenda pernicies, ubi corruptis moribus putruerunt illi, qui peccata prohibere debuissent.

30. Septembris.

Sentio ego in corde musicam, sed sinè voce; audio harmoniam, sed sinè sono; tam jucundam tamen sentio, ut nihil ei in mundo comparari possit. S. Ignat. apud Bart. l. 4. f. 27.

ANimus tuus arbiter est felicitatis tuæ, imò condiror: tantam habes, quantam vis. Frustra incusamus fortunam; malè infamamus naturam, quasi noverca forent: utraque innocens est. Omnis felicitas in te solo est.

Miseria ac tristitia nostræ inertiæ inventum est; quid enim facilius? quid magis sinè apparatu? quàm nihil appetere creatum; quo facto placida, quieta, jucundissima sunt omnia.

Facilè parabile calamitatis omnis remedium est, non quærendum peregre, in nobis est. Prout res accipimus, ità nos afficiunt; nullum telum profundiùs vulnerat, quàm ipse admittas.

Vera voluptas pariter in nobis nascitur, & pro mensura cognitionis adolescit, pro majori major. Nihil extra te quærat, nihil desidera; illud cura, ut Deus cor tuum im-

impleat, reliqua sinè damno missa facies omnia.

1. Octobris.

Si rara vobis, & inventu difficilis discretio videbitur, per obedientiam, ad quam confugiendum, ejus defectum ad securitatem supplete. S. Ign. Ep. ad Hispan.

UT dioptrâ jaculator, ità tu superioris judicio utere, nisi à scopo velis aberrare. Intricata perfectionis semita est; nisi Ariadna filo te ducat obedientia, periculum certiùs, quàm exitum reperies.

In eminenti, angustóque calle, qualis est, qui ad cœlum ducit, ad dextram præcipitia patent, & ad sinistram. Felices, quos obedientia manuducit! hæc suos non extra casum tantùm, sed & extra periculum ponit.

Qui sanctissimi esse volunt, gravissimè frequenter errant; scilicet in edito proniùs est vertiginem pati. Huc, qui suo, non superioris ductu graditur, ad ima relabetur. Terreant vestigia!

Quid prodest sulcare maria, séque ventis dare in ludibrium? portum non attinges, nisi ad stellæ polaris aspectum navim

direxeris. Discretio tua ignis fatuus est seducit.

2. Octobris.

Dum multa onera supra vires accumulantur, calcaria quidem, nullum autem frenum indomito equo, intractabilique aptatur. S. Ignat. ibid.

NOn fervor, sed temeritas est, suis majora viribus audere; explorandi priùs humeri, quid ferre possint, quâm oneri subjiciendi: fatiscent sub pondere, si plùs velint, quâm ferre possint.

Uno conatu præfervido totius vitæ cursui vigor subtrahitur. Egregia, si Diis placet, Sanctitas! audere semel, ut totâ vitâ vel nihil, vel modicum possis. Moderata durant. Fac parum, ut multùm, & diu possis.

Deus, cui placere nitimur, totus mens est, ac ratio; stulta, & inconsulta devotio ei placere non potest. Quantùm à medio, tantùm à merito recedit. Dum nimiùm fervet mustum, dolium rumpit, intemperans fervor corpus destruit.

Hic immoderati fervoris fructus est, ut, qui nimiùm ausus est, fractis nimietate vi-

ri-

tibus, possit nihil. Nimiùm intensæ chordæ rumpuntur; sanitas nostra nihil habet de ferro, facilè succumbit.

3. Octobris.

Multùm solâ laboris pro animabus suscipiendi intentione præstatis. S. Ign. ibid.

IN grandibus, & egregiis etiam desideria, magna si sint, magni facienda, maximè dum tanti operis executio non è volentis arbitrio pendet. Quàm felices! qui volendo meritis ditamur.

Plùs intentione nostrâ Deus, quàm opere, conatu plùs, quàm executione, voluntate potiùs, quàm re ipsâ delectatur, ad illius, non hujus mensuram præmium constituit.

Si animas cœlo aggregandi occasio te deficiat, in promptu est desiderium, quo te nec tempus, nec occasio ullibi destituet. Hâc arte etiam pusilli evadere in Apostolos possunt.

Si avari volendo aurum lucrari possent, quas non brevi tempore divitias congregarent? Pudeat nos in thesauris æternis congregandis segniores esse! Animum Deus ponderat.

4. Octo-

4. Octobris.

Tum ad percipienda, tum ad communicanda dona Sancti Spiritûs multis partibus, litteris bona vita antecedit. S. Ign. ibid.

HUmiles nimiùm, abjectæque litteræ sunt, & infirma elementa, ad fructum spiritualem non assurgunt, muta omnia, & inanima, nisi vitam, vigoremque à spiritu naciscantur. Ad lucrum temporale faciunt, infæcunda ad æternum.

Heu! quantùm erramus, doctos inquirimus, ubi pios invenire præstitisset; ideo rarus animarum fructus, quia nimiùm doctrinæ tribuimus. Nemo apud nos pondus invenit, nisi quem insignis commendat litteratura.

Subtiles sunt, ingenio, & talentis prævalent, eloquentes, versati in omnibus, versutique; ad animas tamen convertendas inefficaces, & nulli sunt.

Spiritus est, qui omni gladio ancipiti vehementiùs animas penetrat; pietas est, quæ omni fulmine potentiùs obstacula omnia diruit, quò vult, penetrat, & quod vult, impetrat.

5. Octobris.

Ratio juvandi proximi (quæ longè, ac latè patet) sanctis desideriis, precibúsque continetur. S. Ignat. ibid.

QUò manus non possunt, pertingunt desideria; hæc nullo obice, nullis terrarum spatiis, vel temporis augustiâ, prohiberi se sinunt à destinato. Quod per lustra spatium pedes non conficerent, desideria momentô emetiuntur.

Si barbaras adire terras indipeta nequeas, non est, quod admodum queraris; breviori viâ, & arctiori compendio iter age desideriis, & multa brevi, nec difficili labore merita collegisti.

Ne tamen desideria vacua sint, pondus iis preces addent; ut quam tua non meretur inertia, pluribus Deus gratiam addat animas opere lucrandi. Sic hæ non tam illius sudori, quàm tuæ pietati cedent in acceptis.

Pigra tamen desideria steriliora sunt, quàm ut ex iis lauream aliquando metas; aliud est velleitas, aliud voluntas; simplicem complacentiam illa, hæc efficacem habet conatum. Ad hanc desideria tua cotem revoca.

6. Octo-

6. Octobris.

Ite, & mundum accendite universum. S. Ignat. apud Cardin. Ludovis.

SI minor, quâm in igne, sit Apostolicus lor, sufficiens non est, qui gelida mortalium corda juvet. Ut decoquatur scoria, ut ferrea corda in vias rectas dirigantur, igne opus est, mitioribus mediis inveteratum non cedit malum.

Facilè sopitur calor, ubi ignis abest. Constantia in repurgando mundo necessaria est; quæ si desit, sordidus manebit, novis in dies accrescentibus. Et unde tantus calor? nisi domi focus ignem alat.

Lucet ignis, & ardet: paria sunt Apostoli officia: duplici nempe viâ corrigendus est mundus: Verbi prædicatione, & operis exhibitione. Claudicat zelus, qui alterutro destituitur.

Totus mundus in maligno, malo igne, positus, etiamnum ardet, ùt Sodoma, nec aliter, quàm ignibus ignis iste sopietur, sed majoribus. Ubi abundat hominum malitia, ibi tua superabundet diligentia.

7. Octo-

7. Octobris.

Quem tanta, quanta vos serviendi Deo obligatio devincit, vulgari labore, & famulatu non est contentus. S. Ignat. Epist. ad Hispan.

QUi in multis nomen contraxit, modico debitum expungere non potest, semper futurus in ære, donec solvat usque ad novissimum quadrantem. Propter magna dona par exspectatur gratitudo.

Quem Dei gratia sublimi constituit in vocatione, grandium ei operum necessitatem imposuit; obvio aliorum contentus munere, etiam haustum aquæ frigidæ remuneraturus, à te hecatomben præstolatur.

Qui Christi audire vult imitator, tenui conatu, & brevi passu grandia ejus vestigia non implebit. Tantæ artis prototypon diligentem in ectypo requirit penicillum, nisi monstrum imagini substitutum velis.

Loci sanctitas, mediorum frequentia, gratiarum ubertas, piorum, inter quos vivis, exempla totidem stimuli tibi sunt, quibus ad grandia exciteris. Pudeat te socordiæ tuæ!

8. Octo.

8. Octobris.

Quantum salus, & innocentia subit discrimen in mediis procellis, & tempestatibus iis, quas nunc bonorum & opum, nunc honoris & gloriæ, nunc voluptatum avidissimus turbo excitat. S. Ignat. epist. ad Hispan.

MIsera hominum conditio! ùt pisces hamo, ità modico rei amatæ lucro attracti præda fiunt, dùmque captant voluptatem brevissimam, capiuntur ipsi, libertate, gaudio, & quiete simul amissis.

Qui gaudet, contentus dicitur; quia tunc gaudet voluntas, cùm habet, quidquid capere valet, aut volet, id est, quidquid optare. Omnia præter Deum grandi peccant parvitate, non explent animum, & tamen fatigant.

Pereant illa, per quæ periculum subire potest anima, mergantur potiùs, quàm mergant. Quis tantillo emat tantùm pœnitere? fumo ruinam, perniciem aurâ, nemo prudens mercabitur.

Quamvis dilatentur, quamvis inflentur hæ minutiæ, quæ vulgus bonorum titulo honorat, omnia minùs sunt, si nostrum ex-

expendamus sinum, qui solo intus contento Deo contentus erit. Reliqua non satietatem faciunt, sed discrimen.

9. Octobris.

Jure sperandum est, quòd cum spiritualibus, temporalia quoque incrementa non sinè amplificatione provenient. S. Ignat. Epist. ad Regem Abyss.

NOn adeò illiberalis est Deus, ut quæ etiam inimicis suis sat copiosè tribuit, amicis suis deesse velit. Fæcundissimus ager est ejus dextera, cui dum tua credis, centuplo reddit cum fænore.

Qui dat, quæ majora sunt, minora non negabit. Dona, quæ spiritum, quæ cælum respiciunt, vera dona sunt; temporalia inter quisquilias censentur: quia tamen necessaria sunt, à suis desiderari Deus non sinit.

Suo Deus obsequio addictos non ùt servos, sed charorum instar filiorum fovet quàm parùm proinde pia mater sui partûs obliviscitur, tam parum suâ Deus eos ope destituet, quos recepit in sua.

Illius providentia provident omnibus, feras, & volucres opipare nutrit, vestit lilia,

lia, & rosas, suos etiam in deserto usquè ad delicias pascit. Pone curas temporalium; cura, quæ Dei sunt, reliqua curabit omnipotens.

10. Octobris.

Elegit vos Deus, ne vestrum animum humanæ res viles, & labiles irretitum tenerent, & vestrum cor in varias partes distractum occuparent. S. Ignat. Epist. ad Hispan.

QUibus te periculis generoso quondam pede subduxisti, ad ea tacitis non est desideriis redeundum. Etiamnum infidus, periculorum, & fraudium plenus est mundus, ac erat, dum tuo eum contemptu dignum reputabas.

Ardet adhuc malo igne Sodoma, malè à pice, & sulphure olet, nec oculo redeundum est eò, unde pridem non pedibus modò, sed & animo recessisti. Recidiva periculosior est.

Quòd terrenis altior has contempseris, & amores à perituris ad æterna transtuleris, opus naturæ non fuit, sed gratiæ. Væ! si huic libellum pares repudii. Vivit, vivétque Deus, cui te, & tua consecrâsti.

Mang

Mannâ te pascit cœlum, cur allium, & cepas esuris? certum destructi stomachi indicium est, saniora respuere edulia, & appetere noxia. Si ollas carnium suspiras, cave, ne cum illis computrescas.

II. Octobris.

Mundities si modesta sit, & gravis, ut compositi, ornatique animi testis est, ità nimia, quæ placendi studio plerumque sumitur, neglectui habenda. S. Ignat. apud Bart.

Oculis placere hominum, ùt commune studium est plurimis, ità est inanissimum. Videri appetunt, quæ inde utilitas? placere satagunt, quis tanti laboris fructus?

Otiosæ mentis est comendo corpori tempus dare, quod æternitati fuerat consecrandum; curas capillo in ordinem redigendo applicare, quanta sui abjectio! quâ quisque lege jaceat, quid facit ad utilitatem?

Si tanta nobis cura de animæ decore, ac munditie foret, si tanta divinis, quæ humanis oculis placendi cupido; quàm sancti, & quàm citò evaderemus!

Ni-

Nimia corporis mundities animæ inducit sorditiem; vultus enim ad ornatum & vanitatem compositus, ùt oculorum laqueus, petra scandali, ruina innocentûm; ità mundities orcos te potiùs placere facit, quàm homini.

12. Octobris.

Qui sincero oculo cœlum aspicit, caliginem terrenorum melius videt: licèt enim hæc speciem aliquam fulgoris affundant, lucem illis omnem cœli splendor adimit. S. Ignat. ibid.

LUx major opprimit minorem; fulgent, non apparent tamen præsente solemi nora sidera: sic decor omnis, & voluptas, si quæ terris est, cœlo comparata, quasi nulla disparet.

Cœlum intueri natura nos jussit, ut doceret, reliqua extra cœlum omnia non nisi pedibus digna esse. Quantùm errant! qui eis cor affigit; quo capi potest Deus, gutta mellis, aut glebula luti non implebit.

Præmii aspectus fortes in vulnera facit athletas; idem in nobis intuitus cœli operetur: æterna illic nos corona exspectat, sed non inertibus præparata, non dormo, sed merito venalis.

Cœ-

Cœlum aspice, ibi patria est, quò tendis; sed per cœlum terrestre non est via ad æternum. Qui ducunt in bonis dies, non habent, quòd cœli aspectu recreentur; nulla illis ibi spes.

13. Octobris.

Inter pium, & vanum hominem ea est differentia: ille abstinet terrenis, & abundat spiritualibus solatiis; iste delectatur sensualibus, & cruciatur internis. S. Ignat. apud Nolarc.

NOlo solatium, cui certa succedit desolatio; malo tristitiam, quam sempiterna excipit lætitia. Lætetur, qui volet, ducat in bonis dies suos. Gaudia hæc sinum non implent.

Si vis, ne tibi mundana solatia illudant; lude cum illis, & pilæ instar procul à te rejice; plurimos illa miseros fecerunt. Sincerioti nunquam te afficient solatio, quàm contempta.

Pius, & impius parem in vultu exhibere lætitiam possunt, corde similem fovere nō possunt; illius conscientia cœlum est, perpetua ibi quies absque metu; hujus anima sicut mare furens semper in motu, & metu.

Una rosa quot non alit spinas! hæc solatiorum mundi sit imago: caduca voluptas mille post se trahit amatores. Nulla sincerior voluptas, quàm voluptatibus carere posse.

14. Octobris.

Malus ipse facilè alios suspectos habet; ùt, qui vertigine laborat, credit omnia commoveri; non horum, sed humorum in suo capite inquietorum vitio. S. Ignat. ap. Maff.

IN umbris ambulat, quisquis suspicionibus agitatur; videre se credit, cùm caligo teneat oculos. Pessimi dimensores, qui suo omnes pede metiuntur, & sibimet ipsis mentiuntur, opinione seducti.

Qui citò credit, citò decipitur. Quid mirum? quòd toties errent, qui suspicionibus aguntur. Nihil est magìs pronum, quàm in umbris impingere, cespitare, cadere.

Justa Dei vindicta est, ut de quo quis alium vitio reum putat, ejus reatum contrahat; talionis hæc pœna est: nulli pejùs de aliis sentiunt, quàm qui nihil in seipsis boni comperiunt.

Se negligunt, de aliorum moribus curiosi; quam suis erroribus corrigendis impen-

pendere deberent mentis aciem, perniciosâ planè diligentiâ in alienam messem immittunt.

15. Octobris.

Divulsum à corpore membrum neque motum, neque sensum, neque omnino vitam à corpore suo accipit, S. Ignat. apud Orland. l. 15. n. 196.

TAm diu frugifer est, & in honore palmes, quàm diu manet in vite, si sterilis rescindatur, ad nihil valet, præterquam ad ignem fovendum. Nulla ei sinè vite vita, nullus vigor, fructus nullus.

Non palmiti, sed viti adscribenda fertilitas, botros ille fert, sed ista gignit, & alit. Qui se à communitate separat, separat se à Dei benedictione, quæ non privato, sed cœtibus integris est destinata.

Ut membrum in corpore luxatum, ac distortum, sibi, & aliis dolorem creat; ità exlex in communitate aliis exemplo, sibi vitâ, nocet. Quid mirum? quòd de rescindendo chyrurgi consultent.

Mittere sanguinem, non est prodigere; bene perditur noxius, ne reliquus vitium trahat, ex quo totius corporis valetudo pe-

riclitetur. Id nempe curandum magis, quid corpori, quàm quid mẽbro expediat,

16. Octobris.

Hoc inter felicitatem humanam, & Christi crucem interest, quòd illa gustata fastidiatur; hac quò plùs est pota, majorem sitim accendit. Ignat. apud Ribaden.

ETiam amara condiri possunt, non modò ut prosint, sed etiam ut sapiant ut appetantur; quis crederet? nisi experientia docuisset, Laurentio ignes videri esse rosas.

Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur: apis etiam ex amaro thymo novit mel conficere, ex durissimo ligno, alembyci artificio, salutares eliquantur succi. Quod in his potest ars, poterit in nobis gratia.

Discendo pati, dediscimus miseriam; amando crucem, plùs eâ, quàm suis ullos voluptatibus, delectamur. Sic in suis rosâ spinis exultat, & quas alii pœnas crederent, ipsa decoris sui custodes amat. Sicinter tribulos acanthis modulatur.

Nec magnum est mysterium, gravia non graviter ferre; si futurum est malum: malè

nunc

nunc ante tempus affligit; si præteritum: malo liberati sumus; si præsens: cogita, statim fore præteritum; ità cogitatione nostrâ crescit, vel minuitur dolor.

17. Octobris.

Debent nobis corporis excusationes semper esse suspecta, quippe fugam laboris, fictâ debilitate virium, pratexere soliti. S. Ignat. apud Bart. l. 3. f. 218.

MAla consiliaria est sualitas, in sua commoda partialis, si una non sufficiat, mille in promptu causas invenit, queis indulgentiam persuadeat; si omnia nequeat incommoda, quærit plurima, quærit difficillima declinare.

Sanitas honestissimum nomen, sanctus planè titulus, sed sub quo mollities, acedia, sensualitas, sensuum libertas, passionum indulgentia, remissio, laxitas, non levia certè vitia, velut sub sipario, nidulantur.

Nescit corpus, quid sibi prosit. Præsentia sentit, futura non attendit: quantum ex indulgentia damnum incurrat, non videt, quia sensu omnia, nihil discursu novit definire. Aliter olim judicabit;

Doloris mensura gloriæ modum defi-

niet, parvo pœna, immodico nobilis emitur corona. Malè nunc sit corpori, ut æternùm sit bene. Facilè toleratur, quod tam ubere solatio pensatur malum.

18. Octobris.

Magnum agit amor proprius; oculos mentis persæpe fascinat, ut putemus impossibilia, quæ si lucem veram admitterent, facilè pateret, facilia fuisse, imò, & necessaria. S. Ignat. ap. eund.

MAlè medebitur archiater, si ægri judicium; pejùs, si ejus sensum sequatur. Doleat, modò prosit, nec ferro parcendum, nec igni; gemat, reluctetur æger, modò ad sanitatem conducant vulnera.

Pia hæc carnificina est, sensum præsentem valetudinis amissæ lucro, velut inæstimabili thesauro cõpensat. Nulla foret magìs impia benignitas, quàm ægro parcere, ut intereat, hoc est, medium salutis eripere.

Grandis infirmitas amor proprius, & ut mala rarò sola omnium animi affectionum parens, & antesignanus; cui, si parcimus, mala fovemus innumera, quibus liberari non licet, nisì per proprii amoris excidium

quæ

Quæ hic fingit toleratu impossibilia, usus tolerabilia, consuetudo facilia, gratia etiam amabilia esse ostendet. His præ illo præstat uti consiliariis.

19. Octobris.

Tanta est divinæ consolationis abundantia, ut ejus dulcedo non animam solùm afficiat, sed & in corpus redundet. S. Ignat. apud Bart.

IN virtutis studio non anima solùm, sed & corpus divinæ obsequitur voluntati: hinc munifica Dei manus ita solatia partitur in præmium, ut iis non anima solùm, sed & laboris compars corpus afficiatur.

Solatia corporis, quæ mundus offert, & sordida sunt, & momentanea, quæ cœlum tribuit, pura sunt, & solidissima. Hæc illis emere sapientissimum, plenúmque solatii consilium est.

Mille titulis magno illi Domino debemus omnia, quæcunque præstamus. Quanta Dei liberalitas, quæ jure posset exigere obsequia, præmio compensat, eóque non ad æternitatem dilato.

Prægustum cœli facit Deus, ut solatiis, quæ hìc sentimus, inescati, amare, & anhe-

lare sempiterna moneamur. Quàm dulcè est tam liberali Domino servire!

20. Octobris.

Cùm objectum amoris infinitum est, semper in amando proficere, & perfici licet. S. Ignat. Epist. 15. April. 1543.

ALii affectus mortales sunt, finem accipiunt, solus amor immortalis finem nescit; materia enim illius infinita cùm sit, tam diu ignis, hic ardet, quamdiu ei materia suppeditat alimentum.

Liberè quidem amamus, quod volumus, non possumus tamen non amare aliquid; ab odio cessare possumus, omnem ponere morem non possumus: semper necesse est velle aliquid. Amor nempe se ad infinitum bonum amandum esse creatum ostendit.

Reliqui affectus cum tempore vim amittunt, consenescunt: amor solus infatigabilis, nunquam defecturus est, semper indefessus, natus ad immortale. Durando crescit, & dum æternitas aliis metam ponit, major invalescit.

Lassitudine, & ignaviâ omni amorem liberavit natura, in continuum usum fecit, nega-

negavit omnes ei ferias, nec unquam tam eximio nos opere satiari voluit. Amando, ac in amore crescendo, beati erimus.

21. Octobris.

Voluntariæ paupertatis amator statuam induat, ut eodem vultu lacernam sustineat, quo byssum, & purpuram accepisset. S. Ignat. apud Maff.

HUmana cupiditas nunquam satiatur, ejus terminus ubique est, & principium ubique: post plura, sunt alia, post alia, omnia; post omnia, sua adhuc erunt avaritiæ vota. Nunquam dicit sufficit. Bellua insatiabilis!

Quod natura nobis infudit malum, gratia corrigit, dum eo artificio naturæ genium erudit, ut fastidire omnia, non modò contenta paucis vivere, sed & necessariorum penuriam discat.

Adeò non sinè remedio paupertas est, quod alia non concedunt artificia, dabit voluntas erudita, id est, voluntas sinè cupiditate. Parum est, quod sufficit, cur ad superflua extendimus cupiditatem?

Quæ te vestis amiciat? quis verticem galerus tegat? quid interest? illa, si nuditatem

protegat, si hic contra solem, aut pluviam defendat, implevêre officium; reliqua superfluunt, non dant, sed accipiunt ornamentum.

22. Octobris.

Dum operam virtuti navatis, simul salutis proximi consulitis. S. Ignat. Epist. ad Hisp.

MEliùs locari tempus non poterat, quàm dum suo instrumentum fini aptatur. Nisi acuat falcem messis, modica sub ictum seges veniet: adeò inter otia computandum minimè venit, dum à messe feriatur.

Spiritus est, qui vitam dat actionibus iis, quæ internam proximi utilitatem respiciunt, sinè illo inefficax cadit opera; aures ferire, ad cor penetrare vox non potest, quam eloquentia, non spiritus, anima verit.

Quod ænea machina ad omnes artis leges optimè instructa sinè igne, id plurimis naturæ dotibus præditus operarius aget, sinè spiritu, id est: omnis apparatus, conatus, & labores hærebunt irriti.

Nullus Apostolatus plus habet utilitatis, quàm qui primùm in se sui zeli vires exercet; nemo tibi te proximior, quam in aliis

aliis excultam vis vitæ sanctitatem, tibi primùm persuade.

23. Octobris.

Justo etiam adversa inimica sortis tela proficua fiunt, nocendo prosunt: non secus, ac si gemmea grando vineam foliis privet, & ditet thesauro meliori. S. Ignat. apud Bart.

Quidquid in nos incommodi venit, non casu, non hominum invidiâ, aut odio, sed Dei nos amantis ordinatione, nostro bono accidit. Nihil in eo partis fortuna, totum Deus habet.

Maximè prosunt, quæ tanquam adversa gemimus. Morbus corporis animam sanat, quod majus bonum? satisfacit pro peccatis, ad Deum compellit, peccare prohibet; possemusne ipsi melius quid eligere? Quæ nocent, docent.

Indifferentia sunt omnia, qualia vis, talia facis esse. Neminem fallit miseria; si putetur; & hoc ipso, quòd ità credas, verissimè miser eris, felix futurus illico, ac opinionem mutare noveris.

In omnibus, quod delectat, invenit, qui rebus uti novit; non novit autem, nisi qui

vitutis, non naturæ, impulsu ducitur. Possunt venena, cur adversa non possint medelam facere?

24. Octobris.

O mi Deus! O summum bonum! quomodo me tam fœdum peccatorem toleras? S. Ignat. apud Ribad.

QUidquid sordium hactenus orbis habuit, tantam non creat mephitim, quantam alit anima peccatoris. Nulla tam à sordium colluvie fœda est latrina, as conscientia peccato sordidata.

Frustra corpus vestitur byssо, & purpurâ, inanis est, quo capillos imbuis, odor cinnamomi, in cassum facies cerussâ pingitur, si fœditas in anima latet, sepulchrum es ornatum foris, plenum intus putredine.

Anima! imago Dei, naturæ divinæ particeps, cœli olim hæres, nunc à scelere fit monstrum, quo nullum magis horrendum Africa peperit, titio inferni, diaboli mancipium, horror Angelis, abominatio Deo.

Et hoc propter quid? ob momentaneam voluptatem, ob fumum honoris. O mortales! amate innocentis animæ pulchritudinem! decor filiæ Regis ab intus, non emite tanti sordescere.

25. Octo-

25. Octobris.

Perfectionis amans tantùm humilitate abundare debet, quantùm lampas oleo: illâ redundent interiora, luceant exteriora, & quamcunque vertatur in partem, se insinuet. S. Ignat. ad S. Magdal. de Paz.

SInè profunda demissione animi nec domi pax, nec boni foris exempli lux diffunditur, illam summa cordis tranquillitas, communis omnium ædificatio consequitur mater quietis domesticæ pariter, & externæ.

Quidquid turbarum seu domi, seu foris oritur, ambitio facit; inquietum malum! quod nec modum scit, nec terminum. Hanc doma, & stabile tecum, æquè, ac cum omnibus fœdus pepigisti.

Si repulsam passa sit ambitio tua, si cupitíspe honoris excidisti, cogita, quòd licèt non habeas, quod cupiisti, habeas, quod cupere debebas. Vertiginem tibi feciſſet altitudo, gradus ille ruinam præparâſſet.

Quàm beati essemus, si sorte nostrâ contenti contraheremus vota: plures, ut felices essent, ultro rejeceruntistos, quos

tu ità perditè sectaris, honores. Fumum ambis.

26. Octobris.

Si quas in te Dei gratias vides, cogita; gemmas, & aurum esse aurifice Dei bonitate, ligno rogum merito clementer indulta. S. Ignat. apud Eund.

DOna Dei quantò plura sunt, vel majora, tantò certiora sunt materia demissionis. Egentior ille, qui plura debet, hoc portat onus, qui plura accepit. Fidei tuæ credita sunt; dona, quæ possides, repetentur.

Quas thesauri custos, eas & tu, curas fovere debes, imò potiores, illi satis est thesaurum à damno servâsse immunem: tibi insuper incumbit, ut novum è talentis fructum facias. Vide, quæ tibi cum Dei donis onera veniant.

Truncus eleganti licèt paludamento vestiatur, auro insignis, & auro fulgeat, stipes manet; tam parum unde superbiat, quàm asinus thesauri bajulus, habet.

Quæ in te seu naturæ, seu gratiæ dona cumulantur, tua non sunt; data de sursum, tolli pro arbitrio possunt. Quid habes, quod

quod non accepisti? si accepisti, quid gloriaris? in alienis cornicula plumis stultè sibi complacet.

27. Octobris.

Præstat violentâ manu vitâ exturbari, quàm vanitati vivere. S. Ignat. apud Nolarci.

SI anima, quæ peccaverit, ipsa morietur, vita mala mors potiùs dicenda est, quàm vita; non solùm quod sepulchro clauditur, aut tumulo infertur corpus, cadaver dicendum: est etiam mors viva, est cadaver animatum.

Qui Deo non vivit, legi rationis non obedit, cui animæ cura in postremis, hujus ego vitam morte deteriorem credo; quâ sublatus, nec Deum offendit, nec animæ nocet, nec proximum scandalizat.

Beneficium Dei est, si morbo citiùs vitam adimat; sic peccandi potestatem adimit, minuit infernum, quem atrociorem meruisset. Qui bene agere, cùm potest, nolit, gratia ei fit, dum malè agere, cùm vellet, impeditur.

Mors ità mala non est, ut timeri debeat, quam scelerati sæpe, præ conscientiæ tortura,

tura, elegerunt, nempe ut pœnas exigerent, quas à passionibus, imò & à dæmonibus, pati coëgerunt.

28. Octobris.

Licèt ipsâ naturâ judicii assensus ferantur in id, quod sibi veri speciem præbet, tamen multis in rebus, in quibus videlicet cognitæ veritatis evidentia vim illi non infers, potest voluntatis pondere in hanc potiùs, quàm illam partem inclinari. S. Ignat. Epist. ad Hisp.

UT oculus ægritudine vitiatus ità clarè videre se credit, ut nullum rei subesse dubium videatur, fallitur tamen, sanóque plùs, quàm sibi, fidere docetur; ità & judicium alieno sæpe satiùs est subjicere.

Iniquum sanè tribunal, ubi Judex idem est, & reus; nunquam suo nimiùm tribuendum est judicio; tunc verò minimè, cùm tua res, aut judicii ipsius veritas, in quæstionem trahitur.

Nemo ità perspicax, aut tam defæcati est judicii, qui errare non possit, plùs vident oculi, quàm oculus; nec â doctrina, & ingenio sumenda semper est authoritas, eti-

etiam olitor aliquando est opportuna locutus.

Necessaria quidem potentia intellectus est, ità tamen voluntatis imperio subdi debet, ut errori se obnoxium esse conscius, voluntatis nutum sequi non renuat.

29. Octobris.

Quòd si pax, & tranquillitas animi quaritur, certè hac non fruetur is, qui habet intra se causam perturbationis, atque tumultûs. S. Ignat. ibid.

NIhil in orbe felicius, quàm theatrum insontis conscientiæ: nulla libertas major, quàm nihil timere; hanc ille solus obtinet, qui se non timet. Quem reum non agit conscientia, Judicem nullum veretur.

Sicut malè sibi conscio nullum est extrinsecum fomentum, ità bene conscio nullum tormentum. Nec domi, nec foris pax est speranda, ubi bellum tot adversi movent affectus.

Quòd ancipites quotidie agimur, inde fit, quòd hodie nos delectet, quod erat herì fastidio, placeat hodie, quod herì displicuit. Ut navis acta ventis, sic mens pas-

sio-

sionibus subdita, semper est in motu, semper cum fluctibus luctatur.

Gaudium in nobis nascitur; fortunæ dona, naturæ necessitas, extra potestatem nostram sunt; inde nec dolendi, nec gaudendi sumi potest constantia. Imperturbata quies ex animi compositione sumenda est.

30. Octobris.

Divina liberalitas de suo abunde supplet lucrum, quod videt suâ causâ contemni. S. Ignat. l. 3. n. 7.

ALiud est videri divitem, aliud esse; non crumenâ, sed animo metiendæ sunt divitiæ; veram opulentiam non opinio facit, sed conscientia, non alienum judicium, sed proprium. Dives est, qui satis habet.

Qui plures filias maritandas numerat, licèt amplissimos census habeat, pauperem se putat; quomodo dives erit, qui infinitas alit cupiditates, quarum vel uni non sufficit orbs.

Non est pauper, qui caret, sed qui eget; nec omnis eget, qui caret, sed qui desiderat. Si desideriis fræna laxas, quantumcunque

cunque opum affluat, pauper eris ; si eadem stringas , quidquid defuerit , satis habebis.

Nec abbreviata,nec exhausta est manus Domini , non necessaria tantùm hactenus suis suffecit, sed usque ad delicias,etiam in deserto,pavit.

31. Octobris.

Modò non desit vobis humilitas , non desit mansuetudo , non deerit utique Deo benignitas ad vos adjuvandos. S. Ignat. Epist. ad Hispan.

MAlitia nunquam superat malitiam, bonitate vincenda est. Et licèt vitium vitio, ùt clavus clavo expugnari posset,præstaret hanc virtuti dare gloriam , ut ipsa vincat.

Quod vis non potuit, effecit mansuetudo ; nec ulla efficacior ad persuadendum eloquentia,quàm patientia : hæc mala,& malos superat,expugnat contumaciam.

Quod concoctio , & digestio ciborum ad sanitatem corporis,hoc mansuetudo ad publicam pacem facit; utraque virtute in sui commodum transformat incommoda.

Duplex est mansuetudinis beneficium:

mi-

minuit damna corporis, & auget animi bona; duplex pariter pacis artificium; nec enim dat offensæ materiam, & datam non accipit; sed & duplex præmium: quòd Deo grata sit, & hominibus.

1. Novembris.

Non abundantia scientiæ, sed sensus, & gustus rerum interior, desiderium animæ explere solet. S. Iguat. in ann. Exerc.

UT opinio non tollit ægritudinem, nec imaginatio famem sedat, ità docta rerum spiritualium speculatio piam non efficit, si ei medulla, quæ in motu voluntatis consistit, non adsit.

Sola contemplatio labor est, sed sine fructu; seminatur multùm, & meritur parum; affectui proventus hìc tribuitur, non intellectui: cogitare de bono, bonum non facit: agnoscere veritatem, non est implere.

Nullius hominis intellectus dæmone doctior, novit is apices omnes, scripturarum mysteria omnia intimè cognoscit, perspectas habet singulas fidei veritates: manet tamen obstinatus in malo. Vide, quid cognitio prosit ad sanctitatem?

Affe-

Affectus ad Divina nec in scholis discitur, nec è libris hauritur, nullo humanæ artis magisterio comparatur. Unus Spiritus Sanctus motor est cordium, sacrorum magister est affectuum. Ille vos docebit omnia.

2. Novembris.

Si regula, & moderatio absit, bonum in malum definit, & virtus in vitium. S. Ignat. ibid.

NUlla res adeò sancta est, quæ immodico usu abire non possit in abusum. Creaturæ omnes ex Conditoris mente bonæ sunt; vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona: noster tamen usus, heu quoties! malas efficit.

Malus, in agendis, consiliarius est naturæ impetus, pejor inolita consuetudo, pessimus, qui animæ nostræ hostis est, dæmon; horum suasu, qui agit, ei etiam medicinæ vertuntur in venenum.

Summa illa mens divina nihil acceptum habet, quod ex impetu, vel cupiditate procedit; consilio vult regi omnia, & meditatò singula definiri. Tantùm homo recedit à bellua, quantùm regitur ratione.

Ni-

Nihil rectè fieri potest sinè regula, hæc actionibus omnibus aptanda : quantùm ab hac, tantùm abeunt à rectitudine. Ædificia sinè amussi ruinæ surgunt, non structuræ.

3. Novembris.

Frequens est dæmoni hoc agere, ut præfixum meditationi, vel orationi temporis spatium decurtetur. S. Ignat. in ann. Exerc.

QUod plurimùm timet orcus, illi maximè est infestus; cùm longo usu didicerit omnia in se arma in oratione acuit, nullas non machinas movet, ut eam, si tollere penitùs non possit, minuat.

Mutilata Deo non placent holocausta. Nihil suffurandum est Numini, nec aliquid ab altari surripiendum. Momenta temporis sibi debiti in numeratis habet Deus, nullum impunè negligitur.

Negotiorum successus à Deo pendet, sinè hoc auspice irriti sunt conatus. Si tempus orationi destinatum negotiis tribuas, quem sperare potes eventum? Deus contra se non adjuvabit operantem. Omnia tempus habent.

Plurimùm interest, quo tempore olitor semi-

seminet, quo arbores cædat ; non omnia omnibus propitia ; laborare, dum orandum foret , est non proficere. Tempori Deus gratias alligavit , neglectæ non redeunt.

4. Novembris.

Tantò majorem quisque faciat progressum spiritualis vitæ, quantò magis ab amicis, notisque omnibus, & ab omni rerum humanarum sollicitudine sese abduxerit. S. Ignat. in ann. Exercit.

NOn est potentior nexus, quàm sanguinis, alium omnem facilius, quàm hunc dissolves ; ità ligat, ut altius à terra evolare vix sinat. Si non prohibet virtutem , certè impedit. Si non extinguit fervorem, imminuit.

Caro, & sanguis non revelat ea , quæ sunt Jesu Christi ; inimici hominis domestici ejus ; blandi hostes , quorum consilia se, non Deum spectant ; pessimi in eligendis, aut agendis consiliarii.

Christus humanæ redemptionis opus inchoaturus matri tam sanctæ , tam charæ valedixit; tu in sinu matris Prophetam, aut Apostolum vis agere ? Naturæ hoc consilium est, non gratiæ. Toto

Toto corde vult Deus diligi, quod si divisum est in alios, divinæ minùs respondet exspectationi. Minùs enim Deum diligit, qui aliquid extra eum diligit.

5. Novembris.

Nulla debet haberi ratio, num, qui præsit, maximus sit, an mediocris, an minimus? hæ enim distinctio vim tollit obedientiæ.
S. Ignat. in Testam.

UNum debet habere oculum obedientia, quo ad Deum semper sit intenta, cæca esse debet ad alia. Si enim oculus à Deo ad alia se reflectat, jam nec obedientia, nec virtus, sed vel assentatio, vel politia est.

Legatus, qui ad te Domini mandata defert, parvus sit, an magnus? minùs interest: non enim ille, sed præcepta per illum significata attendi debent. Cui Domino servis?

Omnis obedienti superior æqualis est, nemo præ altero melior, nemo deterior, optimi omnes, & æquè chari; quia nulli, nisi Deo, semper, in omnibus obedit, alios velut tabellarios aspicit, qui summi mandata Principis ad se ferunt.

Divi-

Divinæ ſuperior voluntatis interpres eſt, illam ſequi, vel rejicere præmio, aut pœnâ dignum eſt, reliqua in conſiderationem non veniunt, minùs affectu, aut pretio digna ſunt rite ponderantis.

6. Novembris.

Quò propiùs aliquis Deum accedit, eò meliùs ad ſuſcipienda bonitatis divinæ dona diſponitur. S. Ignat. in ann. Exercit.

LUmini propior, plus lucis accipit, & igni vicinior, caloris ampliùs participat: ità qui infinitæ ſanctitati ſtrictiùs adhæret, plus haurit ſanctitatis. Ut creatura, ſic & Creator uniformiter difformiter agit.

Deum nemo accedit, nisì, qui recedit à terra; & huic unà, & illi adhærere velle, inutilis eſt conatus. Alteruter deſerendus eſt. Si hujus blandimenta contemnis, cæleſtia recipies.

Non fruſtra ſe nobis Chriſtus dedit, nos repetit; hominem induit, ut omnium ſe homo laffectu exueret; præceſſit, ut veſtigia ſequeremur; & hæc ſemita eſt, quæ ſola ducit ad virtutem. Veni, dicit & tibi, ſequere me.

Reſpue magiſtros auribus prurientes,

hic verba vitæ æternæ habet; si ejus doctrinam sequimur, omnem omnium hominum, & sanctorum scientiam exhausimus, Accedite ad eum, & illuminamini.

7. Novembris.

Christianus unusquisque pius esse debet promptiore animo sententiam, seu propositionem obscuram alterius in bonam trahere partem, quàm damnare. S. Ignat. in Exerc.

APud araneum omnia degenerant in venenum, quæ apis in mel convertisset, non rei, sed naturæ malignantis vitio; certissimum vitiati stomachi est indicium, si ea, quæ sumis, in bilem, & indigestos humores convertantur.

Cùm absolvi possit, quem tuum trahis ad tribunal, cur reum pronuncias? injustitia hæc, imò tyrannis est: nemo condemnari jure potest, nisi delictum sole clariùs sit probatum. In dubio reus est absolvendus.

Quàm benignos tuorum dictorum, factorúmve interpretes, quàm pios cogitationum tuarum Judices habere velles, tales te aliis exhibeto, ne justo talionis æquo

æquò severiores nanciscaris. Quâ mensurâ metiris, recipies.

Etiam quæ apparent mala, forent excusanda, cùm oculus sæpe fallat, auris sæpiùs, & omnium sæpissimè suspicio. Venefica hæc est, ex musca elephantem momentò formare potest.

8. Novembris.

Quotiescunque alienum patefacimus defectum, nostrum ipsorum vitium commonstramus. S. Ignat. in Exam.

QUi diuturnis in vulneribus vivunt, & sanie aluntur vermes, quantæ abominationi sunt, tanto esse horrori deberent homines, qui alienis defectibus commemorandis delectantur; animi enim vulnera defectus sunt.

Cœlum, terra, & elementa omnia, quàm uberem loquendi materiam tibi suppeditant, cur displicet ista? nec ullibi magìs facundus es, quàm, ubi alieni mores trahuntur in censuram.

Tegendæ potiùs, quàm revelandæ forent sordes, has tractare nemo potest, quin sordes & ipse contrahat. Fœtet, dum movetur camerina. Quid juvat veterem re-

novare cicatricem, nisi quòd novus fratri dolor infligatur.

Nec loquendi tantùm, sed & alienæ vitia audiendi pruritus in vitio est: si enim non invenirent benevolos auditores, pauciores forent, qui similia loquerentur. Sepi aures tuas spinis.

9. Novembris.

Quòd si quis improvidè aliquid elegit, quod non licet retractare, reliquum est, ut ubi eum cœpit pœnitere facti, electionis damnum probitate vitæ, & operum solertiâ compenset. S. Ignat. de regul. elect.

HEu! quoties pœnitet facti; sed eos, qui cœco rapti impetu consilium non admiserunt. Sinè deliberatione moliri magna, est clausis oculis ad præcipitium properare.

Si mutare, quod elegisti, non possis, potes corrigere. Capiendum est in arena consilium; facienda ex necessitate virtus, & prior imprudentia præsenti consilio mitiganda. Si redire non licet, licebit minùs errare.

Etiam in rebus sequiùs electis relictus est aliquis solatio locus, divinæ id ipsum ad-

adscribamus providentiæ, ut ex uno reliquos vitare errores condiscamus. Carò sic, bene tamen emitur prudentia.

Etiam mala electio, si rite uti sciamus, bona parturiet; in satisfactionem criminum, in morum emendationem, in augmentum meriti, difficiliora serviant, si vitari non possunt. Sic ex spinis patientia leget rosas.

10. Novembris.

Modestia sufficiens incitamentum, imò exhortatio sit ex solo intuitu quemlibet componendi. S. Ignat. apud Ribad.

Sicut in solem, ità in hominem virtutis studiosum plurimorum oculi convertuntur, latere nequit, quantumvis velit, etiam post siparium; ut ille sub nube observatur. Sic proinde agat, ut non videatur sinè utilitate intuentium.

Muti oratores eloquentibus præstant, hi ore, manu illi perorant, ideò faciliùs trahunt in sequelam; nemo prope ignem agit, quin & lucem accipiat, & calorem; nemo conversatur cum bono, quin fiat melior.

Christi bonus odor esto; nemo te videat, quin à te virtutem discat. Sic largiri, nihil

est perdere ; alter fit ditior, tu non fis pauperior. Nihil tu das, multùm ille accipit. Hoc est viso thesauro fieri opulentum.

Basiliscus etiam visu venena diffundit: tu visu sparge doctrinam ; silentio verbositatem, levitatem gravitate, modestiâ dissolutionem, mansuetudine furorem compesce.

11. Novembris.

Eligentem convenit se examinare, an affectio, quam erga rem aliquam habet, ex solius Dei amore, & intuitu proficiscatur. S. Ignat. in regul. elect.

OMne in eo punctum vertitur, ut rectè, & recta, eligas. Error iste nunquam solus est ; trahit post se innumeros; nunc attende fontem, & scaturiginem errorum ; serò deinde voles obturare.

Difficilis res electio est, multa consideranda, prævidenda plura, plurima sunt timenda, in iis potissimùm, ubi electio facta tollit libertatem, ut mutari, quæ occurret, difficultas, nisi morte, non possit.

Malus electionis arbiter affectus est, si hic cum amore proprio vocetur in consilium, cæcus cæcum ducet, & ambo in fo-

veam

veam cadent, ex qua nec pro libitu surgere, nec facili consilio redire poterunt.

Nihil suâ basi stat firmiùs; rationes, quibus electio tua nititur, solidæ sint, ac æternæ, his tutò insistitur, reliquæ levi vento dissipantur. Dei voluntas amussis tua sit, quâ fundamentum jacias, & molem ædificii incipias.

12. Novembris.

Proprium est Dei, & Angeli cujusque boni veram infundere spiritualem animæ lætitiam. S. Ignat. in reg. discret.

IN turbido piscari amat dæmon, tenebras is offundit menti, voluntati torporem, humoribus melancholiam inducit, ut sic afflictum ad quærenda ea solatia impellat, quæ Deo displicent, spiritum extinguunt.

Perturbatus animus non est aptus ad exequendum munus suum, nec ullus facilius errat, quàm in tenebris. Cùm tristitia mentem obnubilaverit, cave aliquid decernas, expectanda serenitas, ut res pleniùs discernas.

Quies animi, & malacia mentis, habitantis in anima divinæ gratiæ index, & qui-

dam cœli prægustus est; ùt vice versâ perturbatio, inquietudo, signum perversi spiritûs, & aliquam inferni imaginem notat.

Mancipia diaboli, quòd tristentur, habent; nulla filiis Dei tristitiæ causa. Dicite justo: quoniam bene. Fons gaudii, & mœroris idem est, conscientia propria, illius bona, mala istius.

13. Novembris.

Scrupulus per tempus aliquod, dum præsertim recens est, vitæ melioris institutio, animam rebus spiritualibus vacantem non parum juvat. S. Ignat. de scrup.

QUi nunquam dubitat, nunquam ad veram rerum cognitionem pervenit; sic, qui in rebus animam spectantibus incurius absque sensu hæret, nunquam sinceram sui notitiam obtinebit.

Tenera conscientia oculi instar est, etiam pulviſculus tenuis, aut leviſſimus pilus illum offendit, nec quiescere sinit, donec eximatur; crassa verò callum obduxit, nec trabem ampliùs sentit.

Deploratæ valetudinis indicium est, nullo in morbis dolore tangi; cùm ægri optimè secum agi credunt, ibi proximi sunt pe-

ris

riculo. Utinam non pari sæpissimè lethargo multorum animæ laborent!

Quàm sollicitè de temporalibus ineuntur rationes! quàm accuratè lucra conferuntur, & damna! res omnes ad trutinàm exactissimè revocantur. Sola nobis ità vilescit anima, ut nullam mereatur sollicitudinem.

14. Novembris.

Sicut damnosum est primates coram populo allatrare, atque proscindere: ità privatim admonere eos, qui, si velint, mederi malo possint, operæ pretium est. S. Ignat. ad sentien. cum Eccl.

INeruditum vulgus sponte suâ in pejus rapitur, & ad Magistratûs sibi præpositi contemptum inclinat: cave tu novam paratæ materiæ flammam subdere, nisi velis incendio publico causam dare.

Qui in edito sunt, remotiùs vident, quæ si tibi pariter innotuissent, rariùs eorum gesta sugillares. Tibi obediendi, non judicandi relicta est gloria; minùs publicè plectendi potestas data.

Publica Magnorum exagitatio nulli prodest; non Magistratui, quia justâ move-

tur indignatione; non populo, qui avertitur; quem diligere debebat, à Magistratu; non exagitanti, quia passionis suæ præmio contemptum refert.

Omnis potestas est à Domino, huic resistit: qui potestati se opponit. Ab hominibus nos regi Deus voluit, ut fidem nostram exerceret, ut etiam sub nube solem, sub erroribus obnoxii potestate Deum agnoscamus?

15. Novembris.

Ecclesiæ Catholicæ ità conformes esse debemus, ut, si quid, quod oculis nostris appareret album, nigrum illa esse definiverit, debemus itidem, quòd nigrum sit, pronuntiare. S. Ignat, ibid.

CAptivandus intellectus est in obsequium fidei; si enim is mysteria cognosceret, non fides esset, sed scientia. Profundius hoc mare est, quàm ut illi tutò te committas, nisi velis à gurgite non observato sorberi.

Petri navicula est, quæ te naufragii periculo eximet, tot ventis, quot peregrinis opinionibus tua vela vertis, ad eam appel-

len-

lendum est petram , contra quam portæ inferi non prævalebunt.

Sapientia,& ratiocinatio humana isthic fallitur,his qui nititur , noctua est, media in luce caligat. Clariùs in ænigmate,quàm ad tenuem propriæ cognitionis faculam fidei arcana videntur.

Fides est donum,ac lumen Dei,non naturæ,non scientiæ, non hominum. Istud lumen,qui non sequitur, ab igne fatuo ad errores inducitur.

16. Novembris.

Quantò exactius superiores res omnes internas , & externas suorum noverint, tantò majori cum diligentia , amore,& sollicitudine juvare eos poterunt. S. Ignat. in Exam.

PRofundum est cor hominis,& inscrutabile,nulla illud bolide satìs explora veris, semper occultum , donec ipsum se panderit : eâ sera m arte constructam habet,ut nulli pateat,nisì ipsum velit.

Ad labores,ad cruciatus , ad mortem ipsam cogi,etiam invitus,homo potest : ut arcana cordis prodat , nulla eum vis,machinæ nullæ adigent,nisì volentem.

Sinè interna hominis notitia tam parum proderit impensus bonâ institutione labor, quàm parum feliciter morbum curabit medicus, quem ignorat.

Externa signa fallunt, vel quia hypocrisi corrumpuntur, & velut vestis comica ad tempus assumuntur, vel quia idem pluribus etiam contrariarum affectionum potest esse prognosticum. Sic fumus & ignem, & aquam notat.

17. Novembris.

Exoptanda est sermonis gratia ad agendum cum proximis necessaria. S. Ignat. p. 1. c. 2.

UT ad amœniorem solis intuitum ultro se aperiunt flores, & velut corda pandunt, quæ ob tristem atræ noctis vultum concluserant; ità facilè subit aliorum corda, qui vocis, & vultûs amœnitate se facit amabilem.

Inimicus est humano generi, qui humanitatem exuit; hâc captivantur omnes, hæc universalis est ad hominum animos clavis, & magnes, qui omnes in sui primùm affectum, deinde etiam sequelam trahit.

Plùs uno alloquio affabilis efficiet, quàm

quàm centies repetitis alius objurgationibus. Cynicus, ut nulli parcit, quem non mordeat, sic exosus fit omnibus, communis odii scopus.

Magnum naturæ donum affabilitas, quam si ea parcior cui negavit, is arte conetur obtinere. Sæpius artefacta naturam superâtunt. Affabilitas stodiosa tantò naturali prævalet, quantò ars præ natura certior est magistra.

18. Novembris.

Ad unionem ex utraque parte juvabit omnis rerum temporalium contemptus, in quibus sui amor gravissimus hujus unionis, ac boni universalis hostis errare solet. S. Ign. p. 8. c. 1.

OMnia hactenus in orbe bella conflavit meum, & tuum, contumax verbum, nec nisi lite, aut bello dirimendum; hoc ubi classicum intonat, actum est de mentium unione.

Æquilibrium sperari non potest, quàm diu bilancem alteram pondera prægravant; contrà, si vacua sit bilanx utraque, in promptu est æquilibrium. Sic facilis ibi coalescit concordia, ubi nulla est temporalium cupido.

Nec publica priùs, nec privata belli ceſſabunt incendia, nisì ligna igni, id eſt, terrenarum rerum deſideria, ſubtrahantur; hæc ſunt, quæ flam̃is alimenta miniſtrant. Nato Chriſto, factus eſt in pace locus ejus, quia pauper poſitus in præſepio, nihil è mundi opibus concupivit. Ubi ſuſpicio de regis titulo Herodi innotuit, pax bello, & tot innocentûm cædibus eſt profligata.

19. Novembris.

In tentatione accerſenda eſt ſpes, & cogitatio adfuturæ brevì conſolationis: præſertim ſi per ſanctos conatus deſolationis conatus ſenſim frangatur. S. Ignat. in exerc.

NOn naturæ ſolius iſte curſus eſt, ut nox ſuccedat diei, læta curſum alternent cum triſtibus, verûm & gratiæ; ſi nunquam nos exercerent nubila, neſciremus ſerenum æſtimare.

Sinit deſolationes Deus, vel ut ambidextros efficiat, & utrique ſorti aſſuefcere doceat, vel ne quiete perpetuâ nimiùm extollamur, aut certè, ut unde petendum ſit auxilium, erudiamur.

Etiam per fluctus navigatur ad littus. Hæc Deum amantis animæ conſolatio ſit, quòd

quòd in desolatione pariter, & consolatione illi adhærere possit. Nec quidquam est, quod displicere possit, si è patris manu profectum sciat.

Qui desolationem animi, corporis consolatione compensare vellet, languorem ille membrorum veneno curare, morbum morte levare vellet, ac hoc est, quod dæmon in turbido piscatur.

20. Novembris.

Qui cum facultate præest, videat, ne charitatis particularis affectus, universali noceat. S. Ignat. p. 1. c. 3.

CEntrum suorum est superior, hunc respiciunt universi, quàm diu pari hic ad singulos affectu, paralellis velut lineis fertur, nec medium deserit; quòd si ad dextram declinet, aut sinistram, circulum efficit vitiosum.

Æmulatio, invidia, simultates non tam subditorum, quàm superioris, vitia sunt; qui si hæc, partiali erga aliquos affectu, non foveret, invidiæ materia, id est, fomes igni subtraheretur.

In medio discipulorum stetit Christus, dum dixit: pax obis. Hæc in communi-

tate

tate ſperanda non eſt, niſi ſuperior medius inter omnes, pari in ſingulos affectu, & providentiâ feratur.

Quid eſt ſuperior? nisi publico ſubditorum tributo, vel communi obſequio conductus ſervus. Decet proinde: ut qui parem à ſingulis mercedem exigit, parem etiam reddat affectum, & æquas in quemvis curas dividat.

21. Novembris.

In terris mora violentus labor eſt, niſi plus in cœlo, & in Deo per amorem, quàm in terris, & tecum verſeris; ut ſolis radii tam diu extra ſolem effulgent, & vivunt, quàm diu in ſole vivunt. S. Ignat. apud Bart. l. 4. n. 30.

MInimus gradus gratiæ divinæ rite ponderantibus majoris eſſe debet, quàm theſauri, ac gemmæ totius mundi; hi enim licèt ab uno poſſiderentur univerſi, beatum non efficerent; illa filium Dei, cœli hæredem conſtituit.

Quàm parvo, quàm magna lucra facimus! modico pretio infinitum comparatur; infauſti propolæ! ſi alias merces quæritis; huc adeſte, gratia Dei ultro pro-

prostat, absque auro emitur, & argento. Amare nulli durum esse potest.

Quò evagantur vota nostra per varia! fodimus nobis cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas, quando in uno simul habemus omnia, quem, ut invenimus certiùs, ità securiùs possidemus. Nemo tollet à nobis, nisi volentibus.

Non jam avarus, sed insatiabilis est, cui Deus non sufficit, in quo sunt omnia, sinè quo nihil sunt omnia. Nihil enim plus bonitatis habet, quàm quantùm ex bono infinito communicat. Sursum corda!

22. Novembris.

Obversante desolatione agitur homo à maligno spiritu, cujus instigatione nihil unquam rectè conficitur. S. Ignat. in dign. Spir.

IN tenebris nemo satìs tutò figit pedem, maximè ubi obvia sunt præcipitia, quorum nullum, aut nimiùm grave, potest esse remedium; lux exspectanda, ut solidum, an fragile sit solum, apertè videas, priùs, quàm passum figas.

In desolatione nobis relinquimur, ideò audaciores in nos animæ hostes fiunt. Re-

ce-

ceptui hìc canendum est, donec fœderata nobis in succursum veniat Dei gratia, quæ & mentem illuminet, & inflammet voluntatem.

Nihil moderatum suadet desolatio: conturbatus quippe animus non est aptus ad exequendum munus suum, cæco ruit impetu, non quò ratio, sed quò præsens turbo impellit.

Ut procelloso mari jaciuntur anchoræ, contrahuntur vela, sistitur oneraria, donec serenitas è cœlo redeat: ità nihil statuendum de negotiis, dum animus, omni mari periculosiores coquens tempestates, conquiescat.

23. Novembris.

Verè prudentis est, suæ ipsius prudentiæ minimè fidere, præsertim in rebus suis, quarum homines animo perturbato ferè boni judices esse non possunt. S. Ignat. in Epist. ad Hispan.

NEmo sibi sufficit. Dum nascimur, alienâ uti operâ debemus, sinè hac morituri: à primordio nempe vitæ inter prima documenta scire nos natura voluit, quantùm aliis debeamus.

Ille

Ille securiùs reget alios, qui seipsum regere formidaverit; sicut, qui sibi, prudentiæque suæ fidit nimiùm, nec sibi, nec aliis regendis idoneus est. Ipsa æterni Patris Sapientia sibi manuductorem elegit in terris.

Non est gravior error, quàm credere, se errare non posse; se decipit, qui autumat se decipi non posse. Morosi suarum cogitationum defensores, quidquid ex eorum capite prosilit, Palladem esse credunt, cùm sæpe sit tantùm bubo.

Certus ejusmodi præsumptionis effectus ruina, quam Deus permittit, ut, qui aliter noluimus, nostro malo nimiam nostri fiduciam dediscamus. Felix! qui didicit alieno.

24. Novembris.

Magis timendus est Religioso timor paupertatis, quàm ipsa paupertas. S. Ignat. apud Bartol. l. 4.

PAupere pauperior est, qui non vult esse pauper; si enim pauperi desunt multa, nolenti paupertatem, desunt omnia. Si tibi gravis est, quæ nihil habet sarcina, putásne levior erit, si te pluribus oneres?

De

De promissis Veritatis nemo dubitet: Centuplum accipietis. Vide, quàm vanus sit timor; time, ne timeas rerum defectum: plura sunt, quæ nos terrent, quàm quæ premunt. Parvulos umbra terret, cùm nihil mali sit.

Opinione sæpius, quàm re, laboramus; ibi passim trepidamus, ubi non est timor; paucioribus egemus, quàm concupiscamus; horrea paramus erigere, quibus longæ vitæ subsidia recondantur, hodiè fortè morituri.

Nimia pro futuris sollicitudo filia est pusillanimitatis; erectus in Deum animus plùs de ejus bonitate supponit, quàm ut suos necessariis destituturus credatur. Divitem habemus patrem, modò simus filii.

25. Novembris.

Quò interiorem viros spirituales adconsuetudinem, ac familiaritatem admiseris, eò majorem capies in Domino voluptatem. S. Ignat. apud Orland. l. 15. n 110.

UT aromata nunquam tractantur manibus, quin amænum sui odorem in præmium relinquant; ut nunquam igni accedimus propiùs, quin calorem, etiam in-

inviti, accipiamus: ità nunquam sinè utilitate cum viris agimus spiritualibus.

Sigillum nempe viri spiritu pleni sunt, quam ipsi virtutis imaginem cordi altissimè inciſam circumferunt, eandem in illis, tanquam in cera, exprimunt, cum quibus agunt.

Boni solis malis exosi sunt; ùt noctuæ oderunt lucem, ità Religiosorum virorum osores non sunt boni Christiani, digni, ut quos in vita contempserunt, eorum etiam, in agone, auxilio destituantur. In quo quis peccat, punitur.

Perversæ ingenium naturæ est, ab iis abhorrere plurimùm, quæ plurimùm prodessent. Æger maximè horret medicinas, quæ maximè prodessent. Multi brevì meliores essent, si cum melioribus agerent.

26. Novembris.

Providentia amantissimi Patris nostri, & sapientissimi medici, quos maximè amat, & quàm citissimè post hanc vitam deducere vult ad æternam felicitatem, eos tantò magis purgat in hoc sæculo. S. Ign. inep. 20. Jan. 1552.

A Mare non est idem, ac blandiri. Impe-

peritum vulgus in eo amorem ſitum credit, ut amati voluntas adimpleatur; hoc eſt occidere : aliter amat, qui verè amat; bonum nempe vult amato, non perituram, aut defectibile, ſed æternum.

Ut amat ægrum medicus, dum eum urit, & ſecat, quia nempe vulnera hæc novit illi profutura: ſic Deus amat ſuos, & licèt nunc doloribus dolores accumulet, prodeſt tamen iis maximè, quia æternùm.

Tantò amor major, & ſincerior eſt, quantò majus bonum eſt, quod amato deſideratur, licèt viâ difficili obtinendum. Non datur nempe corona ſinè certamine, nec merces ſinè labore. Ducit Deus per ſpinas; ſed ad roſas.

Amor mundi, præterquam quòd turpis ſit, etiam noxius eſt, quem amat, occidit. Sic ſuos ſimia catulos amplexu necat. Oderit utinam plùs, quàm amet! Dei amor fortis, & utilis, eos magìs amat, quos magìs mundus odit.

27. Novembris.

Hoc familiare nobis deberet eſſe, ut Deum in omnibus rebus præſentem cerneremus &

& mentes nostras non in oratione solùm ad cœlum attolleremus. S. Ignat. vitæ l. 5. c. 1.

MAxima pars delictorum tolleretur, si peccaturis testis assisteret; quid si judex? Quos à peccando non retrahit metus pœnæ, faciliùs coërcet verecundia; Nullus locus tam est abditus, ubi Deus non adsit.

Ut præsentia solis nunquam est sinè luce; sic ubi Deus, ibi cum eo lux menti allabitur, quæ principis tenebrarum vires extenuat, & fraudes detegit.

Si tunc solùm Dei meminimus, cùm oramus, quàm parcè cum illo, imò quàm illiberaliter nobiscum agimus! Quantum diei rapiunt occupationes aliæ & nullam Deus; nullam animæ nostræ securitas meretur?

Semper de nobis cogitat Deus, â cura nostri adeò nunquam deficit, ut continuò nobis benefaciat. Nullum venit momentum ejus dono vacuum, & quàm rarò nos ejus reciprocè recordamur!

28. Novembris.

Illud imprimis cogitandum: quid à nobis

Deus

Deus in judicio exiget? quamnam rerùm rationem reposcet? ut ad ejus judicium, non ad nostrum sensum vitam componamus. S. Ign. vitæ l. 5. c. 10.

O Curas hominum inanes! quomodo dives, doctus evadam? quî honores consequar, & voluptates? cura est; & quam de his Deo redditurus sim rationem? incuria est.

Pro his omnibus adducet te Deus in judium. Nulla actio tam modica, nulla cogitatio tam instantanea, nullum verbum tam exiguum, de quo non sit reddenda Deo ratio. Et quàm rara, quàm nulla de his cogitatio!

Scrutabitur illic Deus in lucernis Jerusalem civitatem sanctam, in qua fortè plura reperiet splendentia, quàm aurea, apparentia, quàm vera; & quid de Jericho? quid de Sodoma sperandum? quale his judicium?

Transit dies, effluunt anni, labitur ætas; manet tamen de his omnibus, imò de singulis momentis reddenda ratio. Nunc decet esse sollicitum. Sera illic facti pœnitentia.

29. Novembris.

Via evitandi tribulationes, & afflictiones mentis in hoc mundo est, ut conemur conformare penitùs voluntatem nostram voluntati Dei. S. Ignat. in epist. 20. Jan. 1554.

QUâ nos Deus ad se viâ manuducat, relinquendum est curæ illius: nec aurigam ad unam urgemus orbitam, quâ libet, vehere sinitur, dum quò volumus, veniamus.

Quid triste, & malum putas? à Deo nullum tale venit. Deus voluit, quidquid accidit; anne minoris apud te momenti Dei voluntas, quàm sensus tuus? cur illa se potiùs huic, quàm hic illi accommodare debeat?

Irascere, quantûm libet, bilem omnem exere, quid ad tollendum dolorem efficies? Si proficis, per me licet, impatiens esto; nullum malum minuit impatientia, auget omne; dolorem necesse est feras non ægrè; si nolis? magnum facis.

Alia felicitatis quærendæ via est; brevibus accipe: tam qui potest, quæcunq; vult, quàm qui non vult, nisi quæ potest, fe-

lix est; primum soli Deo competit, secundâ semitâ divinam licet æmulari felicitatem.

30. Novembris.

Experientia docere solet, quòd, ubi sunt multæ contradictiones, ibi sequatur major fructus. S. Ign. in epist. 14. Julii, 1556.

NOn negligit officium suum dæmon, impedire conatur, quidquid conatibus suis nociturum videt. Quæ enim concordia lucis ad tenebras expectari potest?

Astutus hostis maturè prævidet damna capiti suo destinata, ideò prævenit, ut in semine suffocet consilia, optimè conscius, initiis obviari posse faciliùs, quàm rebus adultis; ubi radices fixerit arbor, ægriùs evelletur.

Quia verò imbellis est, nisi metu nostro audacior fiat, viribus diffidit suis; homines in fœdus vocat, ut hi contradictiones, velut classicum, intonent, quibus deterriti à cœpto opere desistant Apostoli.

Væ diaboli emissariis! qui, quod ille non potuit, bona præpediunt. Folles nempe sunt, quibus incendia orcus propagat, ut sa-

sacri ædificii conatus in cineres cogat. Qui mali sunt, nolunt alios se esse meliores.

1. Decembris.

Si quam dæmon conscientiam invenit delicatum, multò delicatiorem efficere nititur, & in extremum quendam redigere anxietatis gradum, ut sic miserè turbatum à profectu spirituali tandem dejiciat. S. Ign. de scrup.

APicem appetere, est periculum anhelare. Ne quid nimis, tritum sapientibus axioma, etiam in sanctitate locum habet. Spinæ illæ ex imaginatione propria natæ ad lancinandum animum aptæ sunt, non ad sanctificandum.

Terra, quæ cultricem manum non admittit, quid mirùm? si spinas, & tribulos germinaverit. Justa hæc pertinaciæ pœna est; si enim consilio locum daret, spinarum loco brevi flores parturiret.

Volenti non fit quidem injuria; fit tamen detrimentum. Inconsulta planè sanctitas! pati sinè merito, sinè fructu laborare, hoc est proprii judicii martyrem esse.

Minus malum talibus foret: non proficere, pejora sequuntur; fit namque, ut qui

culices percolaverant, dein camelos glutire incipiant. Hoc nempe captiosæ sanctitatis lucrum, hæc dæmonis intentio est.

2. Decembris.

Usu ipso, & experientiâ docemur, non ignavos, & tepidos, sed ardentes, & gnavos in obsequio divino animi pace, & tranquillitate potiri. S. Ignat. Epist. ad Hispan.

QUàm demens esset, qui per avia quæreret, quod domi poterat reperire: procùl quærimus, quod propè habemus, per alienas januas ejus stipem mendicamus, quod in manu nostra est, & ipsi nobis dare, imò soli, possumus.

Magna hæc felicitas veræ hac in vita felicitatis est, quod personalis sit, non realis, in nobis, non in rebus nascitur, & vivit. Quisque suæ lætitiæ patria est, & Mater. Animum consule, fervorem attende: quantus hic, tanta etiam animi tranquillitas erit.

Quilibet opifex id maximè satagit, ut suæ artis opus nullius objurgationi pateat: cur opera nos, quæ agimus censuræ, imò indignationi divinæ obnoxia volumus? totum pretium hominis, non tam opus, quàm fervor est.

So-

Solùm sinè vitiis esse, lignea bonitas est; ad majora tendat, qui laudem vult merere. Quæ agit, agat bene, agat, ut meliùs non possit. Pauca ferventer, plurimis perfunctoriè actis, præponderant.

3. Decembris.

In conservatione primi spiritûs, quasi omnis vita est Religiosorum cœtuum. S. Ignat. apud Orland. l. 6. n. 34.

IN aliis natura solet â parvis initiis res ad majora provehere; oppositum gratia sectatur ordinem, tantum principiô fervorem tribuit, ut satisfeciſſe censendus sit, qui proximus illi accesserit.

Dei providentia tantâ Religionum primipilos virtute ornat, ut optimam agendorum Ideam efformet; qui eorum vestigiis fideliter insistit, is veram in se virtutis imaginem efformabit. Illuc respice, quâ sis origine?

Heroum esse filios ignominia est, nisi Majorum gloriam factorum præstantiâ mercemur. Illorum gesta calcar esse debent ad virtutem, ne degenerem aquila columbam videatur genuisse.

Fovendus est primus calor, aliàs focus

intepescet; extinguetur fornax, nisi nova identidem igni materia suggeratur; nihil proniùs, quàm ut aqua nativum ad frigus redeat. Filius ignis es, si luces, & ardes; si tepes, fumus es.

4. Decembris.

Quantò magis se reperit anima segregatam, & solitariam, tantò aptiorem se ipsam reddit ad quærendum, attingendúmq; Creatorem. S. Ign. in ann. Exercit.

UBi tumultus, ubi hominum, negotiorúmque multitudo, ibi turba, in qua nec locus, nec modus est devotioni. Sic, dum plurima quærimus, optimum amittimus; nihil enim nostrâ cum Deo conjunctione melius.

Qui omne littus attingit, ad nullum pertingit; qui se cum lineis omnibus partitur, abit à centro. Si per varia divisi abeant solis radii, non accendunt. Solus quærendus est Deus, totis amandus est viribus, ut teneatur.

Aliis expedita cogitationibus mens recta feratur ad bonum, tanquam ad scopum, ab hoc ubi declinat, errat: dissipatæ cogitationes affectum non movent, & affectu

fectu frigido ad Deum, qui ignis consumens est, non pervenitur.

Qui ubique est, nullibi est; qui mercurium solidare non didicit, nec in litterarum, nec in Dei cognitione, aut amore solidus est. Pluribus intentus minor est ad singula sensus; qui unâ manu multa complecti cupit, nullum tenet.

5. Decembris.

Magnus est eorum error, quos amor sui obcæcavit, obedientes existimare se, cùm superiorem ad id, quod ipsimet volunt, aliquâ ratione pertraxerint. S. Ign. in epist. de obed.

Similiam suam quælibet virtus habet: ut pulchra facies sæpe tantùm superficies, ità & virtus sæpe larva tantùm est, elegans, sed sinè cerebro, sinè medulla. Substantia obedientiæ est, ut non tua, sed superioris voluntas impleatur.

Aliud est te superiori, aliud hunc tibi, parere; istud facit, dum non, quod ipse vellet, sed quod tibi placere intelligit, imperat. Nescio, cujus majori vitio, an superioris? quod fortitudine, an subditi? quod obedientiâ destituatur.

Si ſuperior ſubditum timeat, ſi ei placere ſatagat, frænum perdidit; tum enim, non quid rei æquitas, ſed quid ſubditi cupiditas exigat, attendit; & perverſo planè ordine, qui præeſſe debebat, ſervus efficitur.

Nisi fortè condeſcendendum aliquando ægro videatur; qui tractandus eſt molliùs, ne intra manus duriores plenè ſuccumbat; in quo ùt laudanda ſuperioris diſcretio, ſic vituperãda ſubditi eſt pervicacia.

6. Decembris.

Ut anima progredi valeat in via ſpirituali, ad illius partis oppoſitum, neceſſe eſt, tendat, in quam inimicus tentat pertrahere. S. Ignat. in Exerc.

QUi ab impetu rapidi fluminis in ſyrtes non vult abripi, huic contra torrentem viribus omnibus nitendum eſt; cui ſi cedat, de navi, de fortunis, de vita eſt conclamatum; vel enim allidetur in cautes, vel à gurgite haurietur.

Nunquam paciſcendum cum eo hoſte fœdus, qui eſt implacabilis, cujus omnis cura, noſtra eſt perditio. Quidquid molli-

litur ille, in noſtri perniciem molitur, Tu conſiliis ejus ſemper eſto contrarius.

Vivendum eſt in armis; nunquam hæc ponenda ſunt; nullum ibi crede fore armiſtitium, ubi diu, noctúque in tua vigilat damna inimicus, nunquam non machinas admovet allectrices. Has fugiſſe, viciſſe eſt.

Qui procul à Jove, procùl eſt à fulmine; quantò remotior abis à ſuggeſtionibus inimici, tantò certiùs tua vitas periculà; præſtat perire non poſſe, quàm hoſti colludere. Fuge? ſalvaberis.

7. Decembris.

Hoſtis ille noſter nullâ re magìs charitatem extinguit, quàm immodico, & inconſiderato in virtute progreſſu. S. Ignat. epiſt. ad Hiſpan.

UT ſaburra contra ventorum levitatem navem munit, mergit immodica; ùt oleum, ſi moderatè affluat, flammam alit; extinguit, ſi abſque menſura affundatur; ità moderatio virtutis eſt parens, indiſcretio verò noverca.

Sæpe putatur pietatis, qui ſuperbiæ partus eſt, latentis quidem ſub ſpecie fervo-

ris, nocentis tamen. Immodicus ille conatus ſuam frequenter, non Dei gloriam, aucupatur. Extraordinariai, periculoſa ſunt.

Qui grandes in via virtutis feciſſet progreſſus, ſi moderatione duce, lento paſſu, ſenſim ſinè ſenſu promoviſſet gradum, is inconſulto curſu ſibi remora factus, hæret, ut qui nimiùm voluit, jam nihil poſſit.

Ingentia cœlo damna, orco lucra imprudens fervor parit; quantùm enim animabus prodeſſe potuiſſet, tantundem ſolatii additur orco, demitur cœlo. Etiam bonâ mente, nisi hæc diſcretionis ſubſit legibus, multùm errari poteſt.

8. Decembris.

Plùs Maria dolet Unigenitum peccato offendi ab hominibus, quàm doluerit, eumdem crucifigi. S. Ignat. apud Nadaſi. in an. Mar. n. 670.

UT nulla ſoli cum tenebris, ità nulla Mariæ cum peccato, ſeu actuali, ſeu originali communio: perpetua inter hos oppoſitio.

Ut cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati, ſic crucifixionis Chriſti cauſa, eſt peccatum, quam toties repetis, quoties peccas; & hoc quanto Mariæ dolore? Ju-

Judæi crucifigentes Christum, non agnoverunt; tu scis, in quem delinquas; pro illis necdum, ùt pro te, passus ille fuerat! tot tu, nulla illi, novæ legis Sacramenta in subsidium acceperunt. Vide, quàm Judæis deterior sis?

Mors Christi adeò mala non est, ut etiam inter bona censeri queat; erat enim malorum terminus, humanitatis debitum, æternæ felicitatis janua; peccatum verò ità malum est, ut solum malum sit.

Qui colere vult Mariam, Filium non offendat; sic Matris unà, & Filii te filium probabis: quomodo placere possit Matri, qui inimicus est Dei? Hæc pietatis est medulla, sinè qua nihil prosunt omnia.

9. Decembris.

Superiori, nec si prudentiâ, bonitate, caterisve quibuslibet divinis donis ornatus, instructúsque sit, propterea obtemperandum est, sed ob id solùm, quòd vices Dei gerat. S. Ignat. in epist. de perf.

QUi propter humanas rationes obedit, ab hominibus præmium exspectet, æternum non accipiet; quod Deus non dat, nisi sui causâ obtemperantibus. Ne-

mo libenter fruſtra laborat. Quod agis, fac cum merito.

Servi Dei ſumus, non hominum mancipia. Cur horum potiùs gratiâ, quàm illius, obediamus? oculorum ſervi onus ferunt, fructum non accipiunt.

Qui humanæ ſeu prudentiæ, ſeu benevolentiæ nititur, heu! quàm fragili inſiſtit fundamento! utraque inſtabilis eſt. Quid hominis benevolentiâ mutabilius? quid ejus prudẽtiâ magìs obnoxium erroribus?

Solus de actionis bonitate, de laboris impenſi pretio, certus eſt, qui homini, non propter hominem, ſed propter Deum obedit; quid ille prodeſſe poteſt ſinè hoc, an non omnia hic ſinè illo?

10. Decembris.

Illos ſibi quiſque ad imitandum proponat, quos diligentiâ inſignes, & magnanimitate videbit. S. Ign. in epiſt. de perf.

MAgna magnorum virorum exempla calcaria ſunt, quæ, quid agendum ſit, potentiſſimè ſtimulant; vocem habent eloquentiâ omni magìs facundam. Ideò primos peculiaribus Deus ornavit donis, ut haberent poſteri, quorum virtute provocarentur ad paria. Nec

Nec est, quòd imbecillitatem quis excuset. Potuerunt illi, cur tu non possis? etiam illis Damascena è terra coaluit corpus, par utrisque gratia; quid adhuc desit, nisi animus?

Malè naturam inculpamus, nostros illa veretur nutus; negligentiæ, non impotentiæ vitio fit, quòd à tantis exemplis degeneres abeamus. Consuetudo altera natura est, fac, secunda sit primâ melior.

Regula in ædificiis debet esse perfecta; secus muri declinabunt ruinæ propiores, quàm fastigio. Artefactum suâ ideâ non fit melius. Optimi sint, quos imitandos designamus.

11. Decembris.

Difficiliùs est spiritum comprimere, quàm carnem affligere. S. Ignat. apud Orland.

UT corpori negentur commoda, ut membra dolore atterantur, durum quidem est; sed non ità sublime, quin eò etiam philosophica virtus ascenderit, quæ fortunas, & vitam contemnere, non semel docuit.

Contemni, posthaberi aliis, sui æstimationem contemptui habere, hoc, ut natu-

ræ ordinem, sic etiam omnem philosophorum captum excedit; ille solus virtutis hujus magister est, qui mitis erat, & humilis corde.

Externa mala tolerare, cortex solùm est patientiæ: ast ea ferre æquanimiter, quæ animam vulnerant, hæc medulla virtutis est. Hìc Rhodus, hìc saltus est. Sinceræ hic lapis lydius virtutis.

Corporis ferre molestias, jactantia sæpe, sæpe pertinacia docuit: ast animi læsi gemitus comprimere, spiritus ad alta natos, intra rectæ rationis limites cohibere, non nisì fortitudo potest.

12. Decembris.

Negligentia, & tepiditas semper mæstos pariunt ignavo labores. S. Ignat. in Epist. de perfect.

MAgìs ille laborat, qui minùs. Otiosi citiùs atteruntur viribus, quàm negotiosi; qui suis indulgent cupiditatibus, plura patiuntur iis, qui carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis suis crucifixerunt.

Ubi fervor est, ibi labor non est; ubi amatur, ibi non laboratur, vel certè labor

ipse

ipse amatur. Ampliùs nos terret difficultatis metus, quàm ipsa difficultas.

Crux tepidorum est gravissima. Idem cum ferventibus onus sentiunt, sed unctionem cum illis non accipiunt. Hæc eam fervido animo alacritatem facit, ut quàm parum avem pennæ, tam modicè omnes difficultates eum onerent, ut potiùs evehant in sublime.

Grande malum, quod domi nascitur; semper adest, continuò premit, &, quod deterrimum, medicam manum impedit; quia non aliter, quàm domesticâ curâ, & sui interitu sanabilis.

13. Decembris.

Certum omnino sit, Deum semper esse ad liberalitatem paratum, modò altam in nobis, profundámque humilitatem inveveniat. S. Ignat. in Epist. ad Hispan.

UT proniſſimæ in valles è montibus confluunt undæ; sic nullus abundantiora charismatum ab Altissimo fluenta speret, quàm qui se, suíque æstimationem à se quàm profundissimè abjecerit.

Si enim vas vacuum non sit, aquam non

non hauriet ; sed nec is gratiarum speret abundantiam, qui eas, sui honoris cupiditate plenus petit. Arrogans ille Pharisæus vacuus à Domino recessit, non liberalitatis divinæ, sed suæ arrogantiæ vitio.

Nemo securior, quàm humilis. Illa solùm contra vehementiores Boreæ furores tuta consistit arbor, quæ profundissimas in terram radices misit. Feriunt altas fulmina turres , dum sinè noxa crescunt myricæ.

Respexit Deus humilitatem ancillæ suæ, ideò fecit illi magna, qui potens est ; nec nunc plura cum ullis ille facit prodigia, quàm cum illis , qui sibi vilescunt. De se parum sentientes, plura faciunt.

14. Decembris.

Multa, sæpe etiam bona omitti, & quæ agenda non fuissent, modò peccatum non sint, committi possunt , ob hominum , quibus prodesse volumus , judicium. S. Ignat. apud Ribaden.

BOnum, malúmne sit aliquid, non tam res ipsa , quàm circumstantiæ definiunt ; in his sæpe malum fit, quod in aliis

tolerabile, in aliis etiam laude, vel præmio dignum fuisset.

Non una ægros omnes levat medicina; quia quidquid recipitur, per modum recipientis, recipitur; nempe bonum ex integra causa; si vel una illam circumstantia vitiat, bonum esse desinit, imò fit malum.

Cum aliorum perturbatione velle bona facere, non est gratum Deo holocaustum parare; qui cùm charitas sit, nihil ei placet absque charitate. Gratior illi pugillus cum pace, quàm thesauri cum jurgio communi oblati.

Aurum est charitas; ùt ab illo ignobilia etiam metalla, vel ligna fulgorem, sic ab hac viles, omittendæque aliàs actiones pretium accipiunt. Sic age, ut nulli justæ præbeas offensæ causam.

15. Decembris.

Audire facilius est, quàm loqui. S. Ignat. apud Nolarci.

ARtium nulla tot eget præceptis, quàm ars bene dicendi: quia nulla pluribus obnoxia est erroribus; linguam

tot

tot natura concluſit repagulis, labiis, dentibus cuſtodivit, ut rarò prodeat, ne ſæpe erret.

Linguæ proximum natura cerebrum, rationis ſedem, conſtituit; binos addidit in vigiliam oculos; nempe, ut nihil proferat illa, nisi quod & prudentiæ legibus conforme, & admodum circumſpectum ſit.

Heu me! quæ non ſermo unus inconſideratè fuſus movit bella? concitavit incendia? volat irrevocabile verbum, & jacti inſtar teli multos vulnerat. Omnibus te periculis, faſtidiis omnibus erues, ſi tacere didiceris.

Summus ſemper apud omnes ſilentio fuit honor; quantùm ſilentii, tantùm cuique fidei, & authoritatis. Mirùm nos tam prodigos ad locutionem, cùm ea juſtò frequentior omnem plerumque prodigat noſtri æſtimationem.

16. Decembris.

Malè credit Judex accuſanti, nisi audito accuſato hunc reum inveniat. S. Ignat. ibid.

Ne-

NEmo frequentiùs errat, quàm qui facilè credit: pensari audita, maximè, quæ alienæ famæ derogant, & fides iis tamdiu negari debet, donec palpari veritas possit.

Si accusâsse sufficit, ut quis reus agatur, nemo innocens manebit; loquendi de aliis, & censurandi consuetudo ità latè invaluit, ut nulla res majori opus habere examine videatur, quàm delatio.

Mali fallere, boni falli possunt, neutris præpropera debetur fides. Nos ipsi, quàm sæpe fallimur! quàm pronum, ut in re, vel persona, lateat error? Facilior est tardæ, quàm festinatæ credulitatis venia.

Reo nondum audito nihil certi statui potest: si data delatori una, servanda est aurium altera delato. Suus esse debet purgationi locus; in dubio favendum reo. Quibus delationis audire volupe est, delicias in quisquiliis quærunt.

17. Decembris.

Inconsulto Deo aggrediendum est nihil. S. Ignat. apud Ludo. Gonza.

Hu-

HUmana consilia bis fallacia sunt; primùm, quia rarò sincera, dein, quia fragilia; solis absque metu niti possum, quæ à mente suprema veniunt; illis enim nec fidei quidquam deesse potest, nec soliditatis.

Multi sunt authores operis imperfecti; quia, cœlo multi non consulto, telam ordiuntur: non speret bonum negotiorum finem, nisi à primo ea principio quis incipiat. Hoc negligere est errare.

Rogari vult Deus, ut suum tenebris nostris lumen affundat, sinè quo densa in caligine palpitamus omnes; etiam sapientissimo non unam ambitio, & sui amor, umbram offundit.

Inconsulta nostra molimina ridet Deus, quæ dum fervent maximè, dum optimo successu portum videntur respicere, subsidunt. A Babyloniis disce architecti quid turrim, cœlo adverso, ædificare prosit.

18. Decembris.

Suâ semper veritas luce splendet, ubi men-

dacis

dacium tenebris effunditur, sed his castigandis solarei præsentia sufficit. S. Ignat. apud Bart. l. 2. f. 174.

QUi mendaciis occultare veritatem volunt, telas texunt aranearum; frustra ingenium eviscerant, quisque ventus dissipabit malè connexa retia. Quàm parum ignis in sinu, tam parum diu potest latere veritas in recondito.

Bellum cedro movere venti possunt, assibilare, folia commovere, frondes concutere, solitæ obesse paci possunt, à recto avertere tramite*, aut evertere non possunt; pari nititur radice veritas, non evertetur.

Si veritas à parte tua sit, non est, quod ullum, non quod mille timeas: una recti conscientia contra mille te defendet adversarios, & structos contra te cuniculos, ubi eruperint, in fumum mittet.

Non solet latere veritas; in sole posuit tabernaculum suum, amat publicum, frustra simulas? etiam, te nolente, theatrum subit veritas, quam si lingua neget, frons, oculi, rubor prodent.

19. De-

19. Decembris.

Huic quàm maximè invigiletis ; alter de altero in bonitate sentientes , ut utrique invicem diligamus. S. Ignat. apud Bart. l. 3. f. 250.

AMor Dei latissimè patet : tot habet appendices amores, quot homines; ut ex oceano fluvii in eundem reversuri deducuntur, ità ex sincero Dei amore plurimi derivantur amores, qui ad ipsum revocantur.

Si amicorum omnia sunt communia, debent etiam amores illis esse communes. Deum non diligit, qui non eadem cum illo diligit. Vide, quid non possit amor Dei? cogit omnes ad omnium amores.

Profanus amor, ut amet unum, odit plures, offendit omnes, cæcus semper, & cùm amat, & cùm odit. Dei amor tum efficaciùs amat unum, cùm tenerrimè amat omnes, & cùm nullum odit, tunc solùm unum verè amare se probat.

Homines natura nos esse, non feras voluit, id est, sociales; humanitatem debemus amo-

amoribus, ne illa in nos, censura cadat: quòd homo homini lupus audiat; qui calce ferit ùt equus, rugit ùt leo, mordet ùt canis, cornupetit ùt taurus, homo non est.

20. Decembris.

Cui inutilis benignitas extitit, utilis ejus exemplo cæteris sit severitas. S. Ignat. apud Ribaden. l. 5. c. 7.

UT severitas, sic & remissio, cùm modum nescit, evertit imperia. Matrum indulgentia plurimos perdidit, quos tempestivus patris rigor servare potuisset. Malus superior, sub quo nihil ulli liceat, pejor, sub quo omnia omnibus.

Qui conniventiâ sibi subditis placere curat, Deo displicebit; quia pluribus viam malis aperit, quàm ut facilè dein queant extirpari. Sera nimiùm est medici severitas, dum totum cancer corpus occupavit.

Eò graviora censentur mala, quò pluribus officiunt. Qui parcit malis, nocet omnibus: illis, quòd non emendentur, aliis, quòd sequiora faciliùs exempla imitentur. Plura remissio, quàm severitas reipublicæ minatur damna.

Quod

Quod levi manu curari poterat vulnus, conniventiâ neglectum evadit incurabile. Inclemens sanè benignitas! dum quod levissimis principiô emendari poterat, ferrum deinde, & ignes, utinam non æternos! subire debet, malum.

21. Decembris.

Nullus quidem, ii tamen offendendi minimè, qui, si adversarii forent, possent nostrum in divino obsequio, & salutis publicæ studio, cursum impedire. S. Ignat. in Hist. Soc. l. 16. n. 122.

ÆGre progreditur Petri navicula, dum potentes contrà nituntur venti; qui, nisi Typhim illa reperiat, facilius naufragium, quàm portum tenebit. Contrà, propitiis ventis velocissimè vehetur.

Quid juvat crabrones concitare? si non lædant, molestant tamen, & laborem, melioribus curis debitum, ut repellantur, occupant. Pugnando parum fructûs colligitur.

Magna magnorum planetarum vis est in sementem; tum divini verbi semen cen-

tesi-

tesimam pollicetur messem, dum faventibus illud astris, spargitur. Ut in vitâ Minervâ, parum discès, ità Jove adverso, non multùm proficies.

Plùs animarum fructui unus obesse, quàm centum prodesse possunt; maximè si opibus, si authoritate valeat, qui se opponit. Fac, quod potes, non, quod velles. Satiùs est parum tutò lucrari, quàm magnum proventum periculo exponere.

22. Decembris.

Ità pœnitendum, ut in corde contritio, in ore confessio, & in opere sit satisfactio. S. Ignat. in MS. Catech.

MAgna res pœnitentia! faciliùs est innoxiam à crimine tueri animam, quàm congruam pro scelere agere pœnitentiam. Sunt suæ etiam crocodilo lachrymæ, quæ non ubertate, sed affectûs sinceritate pensandæ sunt.

Pœnitentia crimine minor esse non debet; quot in se peccator habuit oblectamenta, tot de se facere debet holocausta; imò totus homo Deo immolari debet in

pœnitentia ; quia totus eum offendit in culpa.

De ſcelere commiſſo certus es, decongruè acta pœnitentia certus eſſe non potes; ideo nunquam ceſſandum eſt à pœnitentia; dolor non nisi vitâ terminetur.

Quid tardas converti ad Dominum? itáne volupe tibi eſt mancipatus diaboli? ſi, veniæ ſpe, ſcelera ſceleribus multiplicas, cave, ne priuſquam eò venias, naufragium ſubeas. Pœnitentia, quæ ab infirmo fit, infirma eſt.

23. Decembris.

Omnem ordinem, & eligendi formam Spiritus Sanctus, qui ad electionem movet, facilè ſupplet. S. Ignat. p. 8. c. 6. n. 5.

MIrus artifex eſt Spiritus Sanctus, nec regulis ſe alligari, nec exemplis finit; operatur ubi, & prout vult. Quod ventis, hoc etiam divino Flamini proprium eſt, quòd unde veniat, aut quò vadat, ignoremus.

Felix! qui ab eo regi ſe ſinit. Examinate ſpiritus, an à Deo ſint. Non omnia, quæ ſan-

sancta videntur, talia sunt; sub pietatis larva sæpe abscondi improbitas potest; quis discernet?

Ingenii nostri acumen longè magis imbecillum est, quàm ut in rebus Deum, animam, æternitatem concernentibus tutò eligere quid possit: accersendum è cœlo lumen, cor Spiritui Sancto præparandum.

Ut non veniunt, nisi ad candida tecta, columbæ, ità nitor animæ optima est ad Divini Flaminis lumen accipiendum præparatio; sinè quo caligat omnis humana sapientia, ingenium omne cæcutit.

24. Decembris.

Innocentia vitæ, ac sanctimonia, multùm quidem per se valet, & cæteris rebus omnibus longè præcellit, sed nisi cum prudentia, agendique cum hominibus modo sit conjuncta, manca erit, atque infirma.
S. Ignat. vitæ l. 5. c. 10.

SUum auro, etiam intra montium viscera condito, inest pretium: ast eo longè minùs, dum usus humanos subit: sic est sua sanctitati domestica utilitas, publi-

eo tamen tum incipit prodesse, quando privatam, quâ dives est, virtutem, aliis communicat.

Quid juvat plenam optimis mercibus habere officinam, si eas venum non ponas? latebunt, nihil lucri ferent. Qui meliùs sua novit vendere, quæstum facit uberiorem. Ideo sua in te Deus cumulavit dona gratiæ, ut in plures deriventur.

Si bruſca, & morosa tua sit sanctitas, non à te modò arcebis homines; sed & à virtutis studio; tetricam esse tristi supercilio doces, cùm veræ sit lætitiæ parens; nec sinceriùs gaudere possit ullus, quàm qui bonus.

Vultus ad serenitatem explicatus, placidus sermo, benignior oculus, perpetua morum tranquillitas, si sanctitati vitæ conjuncta sunt, tum optimo virtutum proventu doces. Cæterùm frustra vocabis in sequelam, quos atro vultu cogis in fugam.

25. Decembris.

Viles, abjectos, imbelles eos, ignavósque putate, si vel unus in aula reperiatur, qui ut terreni Principis favorem aucupetur, ipsius

ipsius nutibus diligentiùs, quàm vos, ut gratiosi apud cœlestem Regem evadatis. S. Ignat. apud Bart. l. 4. f. 328.

MAxima mundi felicitas eo absolvitur gradu, si quis inter aulæ domesticos assumptus, regii ministri sortem obtineat. Quantis hoc apud multos laboribus, quantis stetit impensis! Ecce idem tibi volenti ultro apud Deum prostat.

Quantùm terreni Regis gloriam æterni majestas excedit, tantò majus est, quod huic præ illo debes obsequium. Confer paralellas. Ille pari tecum luto compactus, paribus obnoxius ærumnis, pares abiturus in cineres: Deus æterna, & immensa majestas. Vide, quid, cui, debeas?

Hominem Deus induit, ut sui à nobis impetret sequelam, extorqueat famulatum. Vel fides nobis deest, vel inferni pœnas non simplices meremur, quòd tali Domino tam parum, & tam segniter serviamus.

Nec nostrum sinè mercede postulat obsequium; æternum pro labore modico donat præmium. Pudeat nos in lucra temporalia tam pronos, si æterna turpi vecordiâ negligimus!

26. Decembris.

Omnia tua dicta, & facta in vulgus emanabunt, cogita ea, quæ in tenebris dixisti, in lucem proferenda. S. Ignat. in hist. Soc. l. 13. n. 55.

LInceos habet oculos vulgus, nihil ei absconditum; ea, quæ remotos intra parietes sepulta credebantur, erumpunt tandem in publicum; nihil tam abstrusum, quò non rima aliqua oculis accessum cedat.

Quò nequit oculus, penetrat suspicio; quæ ubi semel invaluerit, non quiescit, sed, ùt sagax odorem tam diu sectatur canis, dum prædam teneat; ità humani acumen ingenii irrequietum scrutatur omnia, donec secreta resciat.

Defossum in terram semen sepelitur quidem, sed ad tempus; quo brevi exacto, sensim sinê sensu, prodit seges; ità quæ amici pectore, velut agro, altissimè, tutissimèque credis recondita, in apricum protrudentur.

Ama, ut osurus; & dum amaris, puta, odio

odio te olim prosequendum; ità te, & tua fidas amico, ut nocere non possit, licèt velit. Quò vehementior est amor, tantò citiùs in cinerem deficit, & affectui immoderato paria succedunt odia.

27. Decembris.

Nimiùm cauti in rebus divinis rarò magna, atque heroica aggrediuntur: his namque manum non applicat, qui minutam quamlibet difficultatem, quæ occurrere posset, formidat. S. Ign. apud Nolar. c. ult.

QUi ventos attendit, nec navigat, nec unquam seminat; quid fortè periculi, quid occurrere difficultatis possit? si scrupulosè metuas, nulla te unquam ad audendum aliquid inducet resolutio.

Parvuli sunt, quos quævis facilè terret umbra; quibus æras, & virtus adulta, iis pectus contra difficultates magis est firmum. Sæpiùs opinio, quàm difficultas nos ab agendis revocat. Semper accincti, nunquam inchoamus.

Fortè periculum quod tantopere metuimus, nunquam eveniet; cur sumus ante causam miseri? qui felices esse possumus,

si timori spem substituamus. Nemo plùs nos impedit, quàm ipsi; dum nimiùm sapere volumus, desipimus.

Frustra fatigaris, brevior humana est perspicacia, quàm ut prævideat universa; quæ suspicaris, nunquam evenient, fient autem, quæ tu non cogitas. Divinæ alii quid providentiæ relinquendum, suus etiam spei dandus est locus.

28. Decembris.

Discussis, decretisque jam rebus, nox ultimum dare debet consilium. S. Ign. ap. Bart. l. 3. n. 35.

PRudentia virtus non esset, si omnia, quæ nobis incidunt, consilia essent; quàm bellè tum omnia, & nihil inconsultò gererentur, sed ùt non quodvis cerebrum Palladem, ità nec quævis incidentia, consilium parit.

Consilia, ut iis tutò uti possis, festina non sint; præcipitata enim facilè præcipitant. Ut una fax alteri, sic & cogitatio una lucem addit alteri, ut magìs perspicuè, quid agendum sit, videas.

Multa impetus dictat, qui justâ, si temperetur morâ, damnabit, quæ ante pro-

ba-

baverat. Sæpe passio menti offundit caliginem, hæc judicium eripit, cui tempus mederi potest : quantùm enim subsidit illa, tantò plus lucis affulget.

Nemo omnibus horis sapit. Novercæ sunt dies aliquæ in nostram ortæ pernicie-em; noctem, si expectamus, felicior illucescet altera. Dilata fieri possunt, facta, si malè cedant, mutari non semper possunt.

29. Decembris.

Otium malorum omnium origo, quoad ejus fieri poterit, locum non habeat. S. Ignat. p. 3. c. 1. n. 6.

ADæ filii sumus, nostræ nos decet non oblivisci hæreditatis, ut in sudore vultûs pane nostro pascamur. Qui non laborat, non manducet, vox est Apostoli. Quî facto vespere grossum speres ? si non laboras in vinea.

Homo nascitur ad laborem; nihil agere, perinde est, ac non vivere. Vita corporis in motu consistit, si cessent arteriæ, si anhelitus sistat, deficit vita; sic nec anima vivere censenda est, quæ, quod deberet, non agit.

Tempus illud inter perdita computandum

dum venit, quod in utilitatem animæ impensum non est. Non omnis, qui diu fuit, diu vixit. Senex vitiosus, virtutis ætate, puer est; juvenis virtuosus parum adhuc duravit, & tamen diu vixit.

Natura nihil otiatur. Omnia sunt in motu; fluunt aquæ, rotantur astra, ignis semper in conatu; nostro nempe documento: ne ignaviâ, & torpore labi sinamus tempus, sed cùm hoc favet, operemur bonum.

30. Decembris.

Sicut magnam in Cælo reportat mercedem, qui conatur expellere cogitationem pravam: ità magno se periculo in gravia mala labendi exponit, qui bonis inspirationibus non assentitur. S. Ignat. apud Nolar. c. ult.

Offert Deus gratias, non obtrudit; invitat ad bonum, non cogit; si quis eum inhumanus rejecerit, quid mirùm; si reciprocè rejiciatur. Sic ille nos visitat, prout illum nos colimus.

Qui oblatum contemnit beneficium, non favorem, sed odium promeretur; dum, qui primum avidus accipit, meri-

tum

tum sibi comparavit ad aliud. Optima nempe beneficii compensatio, gratitudo est.

Cautè inspirationibus attendendum: conditiones sunt, quibus Deus tuam salutem alligavit; talem si negligas, peristi, non Dei parsimoniâ, sed oscitantiâ propriâ. Hodie, si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra.

Dum pulsat Deus ad ostium, dum aurem vellicat, cave aurem cordis obtures; si monet, pater est; si minatur, Dominus est; semper salvator, tuæ saluti semper intentus, dic: Loquere Domine, quia audit servus tuus.

31. Decembris.

Sit laus, & Gratia Deo Creatori nostro, ex cujus infinita liberalitate, & munificentia bonorum omnium ratio, gratiáque redundat. S. Ignat. in Epist. ad Hispan.

PLures numeraremus gratias, si sæpiùs grati essemus: gratitudo pro uno novi est beneficii sollicitatio. Avet ille benefacere, qui totus bonitas, totus liberalitas est. Numera stellas, si potes, & eodem

cen-

censu gratias, vel hoc die, aut anno acceptas, in computum coges.

Et quid nobis debet Altissimus? dedit gratias, antequam mereri, aut desiderare possemus; continuat in momenta, & quid rependimus? dat sinè spe, gratuitò, sinè termino, liberaliter.

Illud beneficii auget magnitudinem, quòd tam vilibus terræ vermiculis, imò ingratis, rebellibus, inimicis benefaciat, & quod captum omnem excedit, dum offenditur, benefacere non cessat. Quid agimus? seræ cicurantur beneficiis.

Quid retribues Domino pro omnibus? te, si tua des? non das, sed reddis, quod suum est. Da hunc annum, da futurum, totam da Deo æternitatem, & fac

O. A. M. D. G.

Th
2938